



M. Michael Beyer.

73.

מסרה המסרה  
SIVE

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

De

MASORA,

SIVE

CRITICA SACRA  
EBRÆORUM,

Quam

Σὺν Θεῷ παλαίμα

In Almâ Leucoreâ,

SUB PRÆSIDIO

M. AUGUSTI PFEIFFERI,

Facult. Philos. t. Adjuncti, n. t. v. Prof.

Publ. Extraord.

Publice συμφιλολογούντων ἐξετάσθη  
stitt

MICHAEL MEYER /

Wilstriz-Holsatus,

A. clō Ioc LXV.

Ad d. Aug. in Acroaterio Majori,

Horis antemerid.

REVIS A. clō Ioc LXXVII.

WITTENBERGÆ,

Impensis CHRISTIANI SCHRÖDTERI

202

DISSERTATIO PHILOLOGICA

M A S O R A

CRITICA SACRA

M. AUGUSTI PEFIERI

MICHAEL WEGEL

Imperialis Christiani Schröderi



I. N. J. C.

הקדמה :

**H**X quo Hercules atq; stupendus labor Masoretharum Christianis innotuit, non easdem expertus est censuras nec eadem judicia. Laudatus fuit ab his, culpatus ab illis, Ex Pontificiis Genebrardi *Præf. Comm. in Psalm.* tale est iudicium: *Hebraei sunt sancti, sunt Theologi, sine punctis & motionibus scripserunt, sua puris & simplicibus literis expresse- runt. Masorethe sunt eorum profani interpretes, puri Gram- matici, distinctionibus, accentibus, motionibus, punctis illos partim illustrarunt, partim obscurarunt; ut solent interdum interpretes, suis imaginationibus & sensis addictiores, vel gloriae cupidiores, ut aliquid non dictum dicere, & veterum, etiam si illi Spir. S. illuminatione claruerunt, sugillatione sibi famam compa- rare videantur. Imò Comm. in Psal. 78. 47. manifestam eis impingit impietatem. Nec mitiores egerunt censores Delrio, Marsennus & alii. E reformatis Lud. Capellus De- fens. Crit. Sacr. censet Masorethas illud studium totum sine detri- mento potuisse omittere, & in Arcano Punct. rev. l. i. c. 17. alibiq; iis incuriam, incogitantiam & ἀβλεψίαν tribuit. Sic & exqui- sito Masoretharum labori plures alii eam rependunt gratiam, ut eum, tanquam inutilem circulatorum ἀεεργίαν traducant & rideant. Conquestus est de talibus censoribus Ephodæus citante Commentatore libri Cosri Or. 3. Sect. 31. רוב החכמים שראיתו ושמעתי מבחיתים ומבהילים ומגנים את החקירה הזאת המיוחסת לספרים והרבע // המשולם*

אַמְטֵלֵם לְמִי שְׂמוֹנֵי הָעֵלִין וְהַדְפִין לְסֵפֶר הַדְּפוּאָה 5  
 i. e. *Multi sapientes quos vidi  
 & audivi, traducunt, despiciunt & contemnunt studium hoc scri-  
 barum. Quid & sapiens R. Aben-Esra assimilat (ex aliorum  
 scil. sententia, ipsum enim aliter sensisse certò constat)  
 eos numeranti folia & paginas librorum medicinalium, unde nul-  
 lum sanatur vulnus. Benignius tamen judicârunt, qui opti-  
 mam Masoretharum intentionem & mirandos labores  
 aliquantò impensius considerârunt. Sic non nisi hono-  
 rificè commemorant & gratâ mente agnoscunt Maso-  
 retharum studia Joh. Reuchlinus in speculo oculari. Marcus  
 Marinus Brixienſis Pref. in Thes. Lingua Sanctæ, cui titulus  
 Arca Noë, B. Arias Montanus Bibl. Reg. Pref. in Pentateuch.  
 Nic. Serarius Proleg. Bibl. Simeon de Muz de Edit. Ebr. c. 7.  
 Petrus Conæus de Rep. p. m. 161. Conzenus l. 5. Polit. c. 24.  
 Fullerus Misc. Theol. l. 3. c. 13. Buxtorfius Tiber. l. 1. c. ult. Glas-  
 ſius Phil. S. l. 1. p. 19. Hottingerus Thes. Phil. p. m. 138. 410. seq.  
 Hackspanius ad Niz. p. 297. seq. Dilherrus l. 1. Elect. c. 22. p. 131.  
 & alii doctissimi viri. Et certè hoc in passu Ebræi non  
 Ἰμπελαξ, verum encomia merebantur, cum sese hic ut  
 captivos nostros gesserint, studentibusq; nobis codices  
 fideliter portarint, ut loquitur D. Augustinus ad Psal. 40.  
 talisq; eorum labor sit, quem παρνομοειδῆς ἡμμειδῆς. Cœ-  
 terum de Masora & Masorethis ex instituto jam plures  
 egerunt, è quibus legendi Elias Levita Germanus in Ma-  
 soret hammasoret, Buxtorfius P. Tiberiades Commentario Maso-  
 retico, Fide Antiqu. P. passim & Anticr. P. 2 c. 4. & c. Schickardus  
 Bechinat Haparuschim p. 45. seqq. Hottingerus Thes. Philol. l. 1.  
 c. 3. s. 4. p. 398 f. Glasſius Phil. Sacr. l. 1. Tr. 1. p. 26. f. DN. D. Joh.  
 Müllerus Judaism. Prol. 7. p. 59. seqq. Hackspanius ad Niz-  
 zach. p. 297 f. Brianus Waltonus Proleg. 8. ad Bibl. Angl. DN.  
 Lic. Joh. Bened. Carpzovius, Philologiae Sanctioris in  
 Academia Lipsienſi Doctor Excellentissimus, Fautor &  
 amicus*

amicus noster venerandus, Colleg. Rabb. publ. in Rath. Diss. 3.  
 §. 9. seqq. Joh. Leusdenius Diss. 3. *Jona illustrato premissa* &  
*Phil. Ebr. Dissp. 22. ad 25.* Joh. Terentius *Triade altera Medit.*  
*Philol. p. 108. f.* Henr. Kippingus *de SS. Exerc. 52.* Sed & no-  
 bis visum de hoc argumento pauca proferre in me-  
 dium, veniam sperantes, si non semper rem acu tangam-  
 us in tantis tenebris, quibus Masora circumfusa est. Il-  
 luminet nos Pater Luminum!

CAPUT I.

DE MASORÆ NOMINE  
 ET DEFINITIONE.

§. 1.

Cum nomina sint rerum *ἔχθρα*, à presenti tracta-  
 tione nostra alienum non videtur, si priusquam  
 rem ipsam & quod dicitur, causæ ἀνεγπωλιῶ aggre-  
 diamur, ipsum nomen lustremus. מסורה Masora itaque  
 sive מסורת Masoret (licet enim alii etiam alias adhibeant  
 formas scil. מסורה & מסורה, ea tamen tam  
 usitata non sunt, ut innuit Buxtorfius *Tiber l. 1. c. 1.*) à rad.  
 מסר tradere, notat quamvis traditionem, siue sit exhibi-  
 tio rei materialis de manu in manum, siue communica-  
 tio rei mente conceptæ mediante voce docentis facta, i-  
 ta ut ejus correlatum sit קבלה acceptio, à קביל accepit  
 ab aliis tradita. Græcè diceretur ἀπόδοσις.

§ 2. Cum verò hæc ipsa appellatio re significatâ sit  
 latior, nam & quævis traditio majorum cujuscunque rei  
 dici potest Masora מסורה חכמים, manifestum est in  
 presenti negotio vocem Masoræ sumi synecdochicè, &  
 in specie nobis significare doctrinam criticam circa tex-  
 tum sacrum à sapientibus Ebræorum traditam.

§ 3. Honorarium Masoræ Synonymon est, quod  
 vocatur סוג לתורה Sepes legis, in *Pirke Avoth* & alibi, quia

A 3

scil.

scil. ea mediante Sacra Scriptura ita est præmunita, ut  
 nemine invadi queat. In hunc sensum ait Aben-Esra  
*Jesod Mora*: האמרת כי יש שכר לפעולותי בעליו המסתורין  
 שהם כשומרו חומרות העין כי בעבורם עמדה תורה זו  
 וספרי הקרש על מתנתכם בלי תוספת ומגרעת  
 i. e. *Certè merces magna debetur authoribus Masoret, qui sunt quasi*  
*custodes murorum civitatis: propter ipsos enim perstat Lex Do-*  
*mini & Libri Sancti in forma sua, absq; ulla additione aut de-*  
*tractione.* Conf. & Elias Levita in *Masoret Hammasoret*  
*Præf. 3. p. 27.*

§. 4. Sic fuit *Quid nominis*, sequitur *Quid rei*. Pro-  
 batur nobis definitio Masoræ à Buxtorfio l. 1. c. 2. suppedi-  
 tata: *Masora est doctrina Critica, à priscis Ebraorum sapienti-*  
*bus, circa textum Ebraum SSæ ingeniose inventa, quæ versus,*  
*voces & literæ ejus numerata, omnisque ipsarum varietas notata*  
*& suis locis cum singulorum versuum recitatione indicata est, ut*  
*sic constans & genuina ejus lectio conservetur, & ab omni cor-*  
*ruptione aut mutatione æternum præservetur & præmuniatur.*

§. 5. In præsentī definitione considerandum pro-  
 ponitur *genus*, scil. *doctrina*, non quævis, sed *critica*, cum  
 Masora non versetur circa explicationem ipsarum rerū  
 SSæ, sed tantum circa vocum affectiones & accidentia:  
 tum innuitur *differentia*, quæ à causis desumitur. *Efficientes*  
 nimirum *causæ* Masoræ sunt prisci Ebraorum sapientes,  
*Materia* circa quam, SSæ versus, voces, literæ. *Forma*, in-  
 geniosa dispositio, licet hæc alia olim fuerit, quàm ho-  
 diè est, ut suo loco dicemus. *Finis*, textus sacri à cor-  
 ruptione præservatio.

§. 6. Distinguitur hac ratione facilè *Masora Ebrao-*  
*rum à Masora Arabum*. Nam & hi habuerunt suos versicu-  
 lorum, vocum & literarum Alcorani recensitores, quos  
 inter eminebant *Academiarum Cufensis & Bazorensis Pro-*  
*fessores*. Ex Cufensibus palmam aliis præripiebant *Azes-*  
*mus,*



mus, Hamfa, Kesaus; celebrantur etiam ad emendationum  
 Alcorani exemplarium marginem Abu Ketbir, Ibn Ketbir,  
 Ibn Amer, Abu Amra, Abu Beker, Flavogus, Hefchyanus, Na-  
 fabus, &c. qui diversas Alcorani lectiones annotarunt &  
 ejus vocum literarumque calculum subduxerunt vel  
 recitarunt. Labet computationem illam hic ex Hottin-  
 gero *Tbes. Phil. II. c. 3. f. 4. p. 414.* apponere, quam ipse ex  
 MS. quodam codice atlegat: Numerus versuum Alcorani  
 in Exemplari Medinensi priori 6000. In Medinensi altero 6216. In  
 Meccensi 6219. & in Cufensi 6236. & in Bazorensi 6216. & in Scha-  
 miensi vel Syriaco 6226. & in Ravamatensi 6220. Numerus vocum  
 Alcorani 77639. Numerus literarum 323015. In recensione  
 tamen versuum paulisperabit Golius ad *Gram. Exp. p. 178.*

## CAPUT II. DE MASORÆ AUTHORIBUS.

§. I.

**T**endimus jam ad rem ipsam & primò omnium Ma-  
 soræ authores καλλόναμιν in apricū protrahere con-  
 tendimus. Cognitā enim causā efficiente, non erit  
 adeò difficile in multis de effectu judicare. *Authores* ita-  
 que *Masora* Ebræis appellantur בעלי המסורה, vel etiam  
 אנשי מסורה *Masoreta*, vel חכמי מסורה *Sapientes Maso-*  
*retba*. Dicuntur & quandoque סופרים *Scriba*, seu, ut  
 quidam exponunt, *Numeratores*, nam eò tendere videtur  
 ratio nomenclaturæ, quam suppeditat *Elias Levita* אך  
 המעשה אשר עשו בעלי המסורה הוה שהשתרלו בכר  
 מאמצי כוחם וליה שקטו עד שמנו כר הפסוקים והתיבות  
 והאותיות מכל ספר וספר לפיכך קראו להם סופרים:  
 i. e. *Opus quod præstiterunt Masoretba fuit hoc, quòd solliciti essent*  
*pro omni robore virium suarum, neq; quiescerent, neq; cessarent;*  
*donec numerassent omnes versus & dictiones, adeoq; literas litte-*  
*gularum*

gutorum librorum, unde & vocati sunt *Sopherim*, i. e. Recensitores. Hinc & Esdras quibusdam est ראש לסופרים Princeps Recensitorum.

§ 2. Coeterum authores Masoræ non fuerunt ejusdem ætatis, nec ejusdem conditionis. Innuit id ipse Elias Levita *Masor. hamin. Pref. 3. circa fin.* והאמת כי בעלי המסורת היו למאות ולאלפים דור אחר דור כמרת שנים ולא נודע לנו זמן התחלתם גם זמן התמדתם. i. e. Certum est authores Masoræ centenos & millenos (i. e. quæ plurimos) fuisse, unâ generatione post aliam, annis compluribus, neque cognitum nobis est tempus principii vel finis eorum. Ergo nemo à nobis expectabit certam Masoretharum enumerationem, historiam, *ἱστορία* *ἔτι*, cum ex Ebraeorum scriptis de Masoretharum ætate & numero nil ferè certi & indubitati desumi queat, & talia ab exteris historicis non sint occupata.

§ 3. Talmudici & alii quidam ex Ebraeis existimant præcipuam Masoræ partem nempe הלכה קרי וכתוב Traditionem Moysi de monte Sinai: h. e. ad ipsum Moysen cæterosq; sacrorum librorum scriptores ratione originis referendam esse. Conf. *Mass. Nedarim c. 4.* R. Jacob ben Chajim *Pref. Bibl. Venet.*

§ 4. Sed hoc negant Elias Levita *Pref. 3.* R. Kimchi *Pref. in Propb.* Schickardus *Becch. Happ. p. 55.* Hottingerus *Thef. Phil. p. m. 417.* & alij. Et certè vivis authoribus locus variis lectionibus vix fuisse videtur, cum semper in promptu essent *ἀντιγραφα*, ad quæ exortis dubiis libera erat provocatio. Si tamen cò sensu Masoræ incunabula aliquis ad scriptores ipsos referre velit, quod ipsi discrepantias quasdam forte an deprehensas ad sua autographa exigendas monuerint, nos non habebit contradicentes.

§ 5. Aliàs duæ cum primis circumferuntur de Masoræ authoribus sententiæ. Una defendit Masoram esse scriptam

scriptam ab Esdra & viris Synagogæ magnæ congregatis  
in concilio 120. virorum, quod Esdras congregavit ad re-  
stituenda & restauranda omnia, quæ ad Ecclesiæ Judaicæ  
conservationem faciebant. Altera statuit Masoram con-  
scriptam esse à Magistris Tiberiensibus, qui post confe-  
ctum Talmud circa sextum ferè seculum post nativita-  
tem Christi vixerunt & ob sacra studia in urbe Tyberide  
convenerunt.

y. o. verum enim verò Masora non complectitur  
pauculas observationes, sed longè plurimas easque di-  
versas; unde temerarium esset definire certa temporis  
momenta, quibus instar unici cujusdam tractatus con-  
scripta sit. Esdras cum collegis potuit utique tam grande  
opus inchoare, cum verò res ista nuius ætatis vel homi-  
nis non esset, Esdræ successores potuerunt studium illud  
continuare & indies novas adjicere observationes:  
usquedum post longam annorum seriem, cum Masore-  
tica studia ob varias persecutiones aliquandiu intermissa  
vel saltem interrupta essent, in urbe Tyberide celebris  
Doctorem conventus convocaretur ad Masoram penè  
collapsam restaurandam. Sed cum res sit consideratu  
dignissima, utriusque sententiæ authores & rationes  
penitiùs introspeciemus, & nostram *Ἰντιξίσιον* deinceps  
explanatiùs proponemus.

§. 7. Et ut quoddam committamus *ὕστερον πρότερον*,  
eorum sententiam primò sub examen revocabimus, qui  
Sapientibus Tiberiensibus in solidum Masoræ inventio-  
nem attribuunt. Horum choragus & primipilus est  
*Elias Levita Germanus*, qui Tiberiensibus totius Masoræ ut  
& Punctationis omnis inventum adjudicat. Ita ille  
*Pref. rythmica, in Masoret Hamma.*

רוב כתיב אנשי ז"ל המעשר  
 אז בטריה מתגוררת  
 ז"ל היתה בראשונה  
 בחכמה זו המפוררת  
 גם המצוא דר הנקור  
 מהם היא לנו במסרת  
 גם הטעמים היו שימו  
 להיות גם הורה

*Maximus cœtus authorum hujus op...*

*Tunc Tiberiade morabatur,*

*Manus eorum prima fuit*

*In sapientia hac laudata.*

*Etiam invenerunt punctationes,*

*Ab illis ea nobis est tradita,*

*Etiam accentus apposuerunt,*

*Ut iis lex esset explicata.*

Allegant quidem in hanc sententiam etiam R. *Aben Esra*  
*Elias Levita*, Cappellus & ipse Buxtorfius Parens *Tib. c. 3.*  
*ab init.* sed hunc ab Elianis non stare partibus neque Eliæ  
 ansam istius asserti præbuisse solidè probavit Buxtorfius  
*Filius de Orig. Punctorum P. 1. c. 3. Münstero* tamen aliisque  
*Elias* imposuit, ut eandem foverent defensoresque o-  
 pinionem, cujus patrocinium cum primis in se susce-  
 pit *Lud. Capellus Prof. Salmuriensis.*

§. 8. Sed erronea est sententia Eliæ & a seclarum.  
 Id ut obtineamus, unicum modò urgebimus argumen-  
 tum: Cujus meminerunt Talmudistæ, illius authores  
 & inventores primi non fuerunt Magistri Tiberienses,  
 qui circa sextum Christianum seculum floruerunt. Sed  
 Masoræ meminerunt Talmudistæ. E. Major probatur,  
 quia Talmudistæ vixerunt ante istos Tiberienses, cum  
 totum Talmud ob signatum fuerit circa annum C. 500.  
 Minoris probatio itidem non multo nobis labore con-  
 stabit.

stabit. In *Tr. Nedarim* c. 4. f. 37. & *Megilla* c. 1. f. 3. *Talmudis Babylonici* & *Megilla* c. 4. *Hierosolymitani* Masora expressa extat mentio. Sic & trita Talmudicorum sententia est *למסרה* *וְשֵׁי לְמַקְרָא* *וְשֵׁי לְמַסְרָא* *Est mater scripturae* & *est mater Masora*, quæ adhibetur, cum duo dissentiunt in explicatione cujusdam vocis, quam unus legit prout scribitur per vocales, alter prout scribitur per litteras & aliis vocalibus efferri potest. Sic mentio fit in *Talmude* *et Keri & Ketib Nedarim* f. 37. *Itur Sopherim ibid.* supputationis literarum, vocum, versuum: literarum mediarum in libris *SSæ Kidduschin* c. 1. f. 30. de quibus & multis aliis consulendus est *Buxtorfius Tiber.* c. 8.

§. 9. In specie vocalium inventio Tiberiensibus imperitissimè adscribitur. Opponimus nos illi sententiæ iterum sequens argumentum: Qui de vocalium anomaliis & irregularitatibus certas fecerunt observationes, illi vocalium authores non fuerunt. Sed Magistri Tiberienses de vocalium anomaliis & irregulari usu multa observarunt. E. Major probatur: si enim Masoretæ Tiberienses vocalium authores & primi inventores fuissent, penes ipsos stetit semel instituere certam punctationis rationem, neq; necesse habuissent annotare: Has vel illas vocales hoc vel isto modo irregulariter & præter morem adhiberi. Minorem multis exemplis consolidavit *Buxtorfius Tib.* c. 9. Et pone Masoretas Tiberienses reperisse vocales: num putas rem tantam silentio præterituros fuisse historicos Ebræorum, qui alia ad religionem pertinentia tam curiosè annotârunt? hi verò ne *שֵׁי* vel *אב* habent de istâ punctorum inventione Tiberiada, quam etiam jam dudum in nihilum redegit *Buxtorfius Filius de origine Punctorum*. Quid quod ipse Elias sibi parum constet & quandoq; saviat in propria viscera, ut dum ait *פ. 4. n. וכן ענין המסורה והוא לפי שנמסרה*

שנמסרה לחכמים איש מפי איש עד עזרא וסיעתו  
*Hæc est ratio etymæ Masoræ quod נמסרה tradita sit sapientibus: cuiq;  
ex ore alterius, inde ab Esra & collegio ejus. Et alibi refert  
authores Masoræ centenos & millenos diversis seculis  
fuisse, ut supra diximus. Conf. Schickardus Bech, Happ.  
pag. 57.*

§. 10. Ruit ergò ista sententia Eliæ: *Tiberienses esse  
authores Masoræ & punctationis.* Cui καδ Δι' α' μετ' ε' ο' v oppo-  
nunt se illi, qui conventum Sapientum in urbe Tiberiade  
figmentum cerebri Eliani esse putant, in Ebræorum his-  
toriis & rei veritate non fundatum. Et certè si monu-  
menta Ebræorum consulamus, quæ supra Eliæ tempo-  
ra conscripta sunt, Tiberiadi illius concilii, uti qui-  
dem ab eo describitur, ægrè evidentia reperiemus vesti-  
gia. Interim diu post translatas Ebræorum scholas è  
Palæstina in Babyloniam mansisse sapientes quosdam ce-  
lebres Tiberiade & alibi locorum, testantur Ebræorum  
historici R. Abraham Zachut, R. Gedalias, R. David Ganzius,  
nec non Christianus Pater Hieronymus, qui *Pref. in Para-  
lip.* ait: *Deniq; cum nuper à me literis flagitassetis, ut vobis li-  
brum Paralipomenon Latino sermone transferrem, de Tiberiade  
quendam legis doctorem, qui apud Hebræos admirationi habeba-  
tur, assumpsi & contuli cum eo à vertice, quod ajunt, ad extre-  
mum unguem & sic confirmatus, ausus sum facere quod jubebatis.*  
Verum de Sapientibus Tiberiadis consulatur Buxtorfius  
*Tib. c. 4. 5. 6. 7.* post quem conscribere Tiberiada, esset scri-  
bere post Homerum Iliada. Proinde non negabimus  
nos facilè Tiberiensium vel existentiam vel hac in re na-  
vatam operam, ut utiis nulla ratione adseribendam pu-  
temus primæ inventionis gloriam.

§. II. Existimamus proinde primitus quidem à Mo-  
se inde viros sanctos, quibus religionis orthodoxæ cura  
demandata erat, in eam curam sedulò incubuisse, ut sa-  
cro

CRO

ero codici, quousq; successivè perductus & auctus esset,  
 sua constaret integritas & vera lectio in toto populo con-  
 servaretur. Ob prostantia autem adhuc dum singulo-  
 rum librorum *αὐτόγραφα* & præsentiam virorum *Ἰεσοῦν*  
*Ἰωάννου*, tam operosis munimentis opus non erat. Si quid  
 enim fallerent alia exemplaria, ad *αὐτόγραφα Ἰεσοῦν*  
*Ἰωάννου* licita erat provocatio, sic etiam si circa alias  
 circumstantias quædam incidisset controversia, ea au-  
 thoritate Prophetarum, quibuscum immediatè loque-  
 batur Dominus, componi poterat, unde tum temporis  
 nullas quoq; oriri potuisse hæreses colligit Vir doctiss. P.  
 Cunæus *de Rep. Ebr.* p. 257. Cum verò Canon Veteris Te-  
 stamenti cum Esdra & *συγγραφοῦς* obsignandus esset, opus  
 erat, ut quibusdam cum munimentis ad posteros trans-  
 mitteretur, præsertim cum sacrarum literarum studium  
 durante captivitate Babylonica licet non penitus inter-  
 missum, tamen ob afflictissimum rei Ecclesiasticæ & pu-  
 blicæ statum non adeò fervidè procesisset. Demanda-  
 ta est proinde Esdræ divina autoritate & jussu Regis Ar-  
 taxerxis Ecclesiæ & Politicæ Judaicæ reformatio. Hic  
 ergò de Ecclesia à variis impuritatibus exilii tempore  
 contractis repurganda cum primis sollicitus, omnia sa-  
 cri codicis exemplaria conquirit, ea recognovit, cum  
 authenticis contulit, & sicubi discreparent, veram le-  
 ctionem annotavit: de cætero sacrum codicem in cer-  
 tas classes ordinemve librorum disposuit, versus accu-  
 ratè recensuit, diligentem punctorum vocalium ratio-  
 nem habuit, nihilq; eorum omisit, quæ ad illius perpe-  
 tuam à mendis præservationem facerent, adeoq; præci-  
 pius Masoræ author meritò dicitur. Et ista quidem  
 tum ex *Esd. c. VII. v. 6. 10. 12. 14. 21. 23. 25.* & *Nebem. c. VIII. per*  
 a satis probabiliter colliguntur, tum unanimi Ebrææ an-  
 tiquitatis consensu approbantur. Ac ne solus huic oneri

ferundo succumberet, CXX. collegas, è senioribus pietate, prudentia & eruditione valentibus selectos, sibi adscivisse, eosq; duodecim primoribus à se constitutis, quos inter multi recensent *Haggæum, Zachariam, Malachiam, Danielelem, Nebemiam, Mardocheum, &c.* subdidisse dicitur, qui essent Ecclesiastico Politici quidam Senatores & consilarii & necessaria hujus reformationis socii, ut loquitur Schickardus *Bech. Happ. p. 55.* Verum de hoc concilio s. de Viris Synagogæ magnæ & eorum Præsidente Esdra absolutissimè egit Buxtorfius *Tib. c. 10. § 11.*

§. 12. Quod si Exemplar sacri codicis manu Esdræ & opra collegarum sive *σεβέγγων* recognitum semper mansisset suspertes, fortean posteri labore ulteriori supersedissent & Masora in tantam quantitatem non crevisset. Verùm licet Finus Adrianus Ferrariensis in *Flagello Jud. l. 9. c. 2.* scribat: *Ipsamet Biblia ab Esra restaurata custodiri in civitate Bononia, in Ecclesia S. Domini, tamen in multis locis ab Hebræis vitata fuisse, quoniam per communitatem Bononia loco pignoris data sint Hebræis mutuantibus pecuniam ipsi communitati;* & similia commemoret Angelus Rocha à Camerino *Bibl. Vatic. p. 394.* fidem tamen suæ assertioni nullam faciunt & res est conclamata *ἀπόγραφο* Esdræanum non amplius superare. Ut proinde quibusvis seculis extarent quàm emendatissima *ἀπόγραφα*, successores, Esdræ allaborarunt. Continuarunt sc. studia Masoretica & præter lectionum varietatem, alia quoque ad orthographiam spectantia annotarunt, cum primis, annotante R. Nachmanide *Prof. 2. in Pent. מלחמה & ספרים* de quibus postea, diligentissimè observarunt. Sequioribus verò temporibus inter tot Judaicæ gentis captivitates & exilia refriguit paulatim ardor ille & penè extincta fuit pristina diligentia, usque dum juxta Eliam & alios tandem Anno post templi everisionem 436. vel circiter,



citer, in urbe Tiberiade, sita in Mæsia minoris Asiæ provincia, institueretur celebris conventus eruditorum illius seculi, qui collapsa Masoræ studia rursus restaurarunt. Eos Elias Oetern. He 6. in Masoret hamm. primos authores Masoræ fuisse falsissimè existimat, ut suprà monuimus.

§. 13. Tiberienses Masorethas exceperunt duo celebres sapientes Ebræorum nim. R. Aharon f. R. Mosi ex tribu Ascher, qui concisè Ben Ascher, & R. Moses f. David ex tribu Naphtali, qui brevius Ben Naphtali vocatur. Ille in libello de Accentibus, qui Bibliis primis Venetis adjectus est & ipsi Ben Aschero adscribitur, dicitur fuisse ex Tiberiade urbe ad lacum Genesaret, illiusq, loci Academiae Rector vel celebris doctor perhibetur. Ben Naphtali itidem Rector Academiae Elia teste fuit, sed incertum, cujus. Buxtorfius Fil. ex eo quod hic cum Ben Ascher in lectione quarundam vocum dissenserit, affeclasve Babylonios habuerit, cum in Babylonia vixisse colligit de antiq. Punct. P. 1. c. 15. Floruit autem uterq, notante Gedalia Schalsch. Hakkabb. f. 37. 1. anno circiter Æ. J. 4794. i. e. Chr. 1034. Dissensiones inter eos ortæ fuerunt circa vocales, notas orthographicas & accentus, in voce etiam *Cant. 8. v. 6.* של ובר יורו, quam Ben Ascher unicam, Ben Naphtali in duas divellendam esse voluit. Sed de illis plura habet Buxt. l. c. Notetur tantummodò hic turpis parachronismus Genebrardi Chronol. p. 181. qui statuit puncta ante annum Christi 476. vel 478. à Ben Ascher & Ben Naphtali inventa fuisse: quomodo enim hi duo, qui anno demum 1037. & deinceps vixerunt, anno 476. puncta reperire potuissent? annon sic ἀφιλοσόφος affectus prior statuitur suâ causâ? Sed hæc ~~וְיָמֵינוּ~~

§. 14. Ad

§. 14. Ad Masoram porrò Christianis ob raritatem & difficultatem inaccessam ferè, primus aditum aperuit ante hos centum quadraginta & quod excurrit, annos, *Daniel Bombergus*, Typographus Venetus, Vir plurimorum librorum Ebraicorum editione &, quod in Typographo rarum, ipsius Ebraicæ linguæ peritia clarissimus, qui ad Masoræ collectionem & dispositionem conduxit *R. Jacobum ben Chajim*, Afrum Tuncetanum, qui tum temporis Venetiis exulerat. Hic ergò conquisitis per Bombergum magno pretio variis Masoræ MSS. libris, ingenti labore & studio mirabiliq; vigilantia, Masoram magnâ ex magna confusione in eum ordinem in eamq; formam disposuit & digessit, quam hodieq; videmus & de qua plura infra dicemus. Conf. Buxtorf. *Tiber. c. 19.* & ipsa præfatio *R. Chajim* Bibliis Venetis præmissa.

§. 15. Non multò post *R. Elias Levita*, genere Judæus, natione Germanus, rogatu quorundam Christianorum universam Masoræ rationem, peculiari tractatu מסורה המסורה dicto, explicare aggressus est, studio Masoretico impendens, quicquid viginti annorum jugi studio ex optimis quibusq; libris didicerat, ut ipsemet testatur. Verùm post eum novissimè Vir doctissimus *Job. Buxtorfius Pater* in editione Basileensi Bibliorum Masoram diligentissimè emendavit, totamq; ejus rationem doctissimo tripartito commentatio, quem *Tiberiada* inscripsit, copiosissimè pertractavit: in primâ quidem parte disserens de Masoræ causis, authoribus, materiâ, formâ & fine: alterâ *χρησθησων* exhibuit ad Masoram, ejus terminos & abbreviandi modos longè perfectius quàm *Elias* in *Masoret hammasoret* explicans: tertiâ castigationis varias in Masoram ordinavit.

§. 16. Et quamvis hi omnes, qui quocunq; modo ad Masoretica hæc studia aliquid contulerunt, sua laude minimè

minimè defraudandi sint, certum tamen est magnam partem Masoræ injuria temporum & incuria hominum periisse. Neq; verò est dubitandum, si accuratior institueretur omnium forulorum Judaicorum in universo orbe perlustratio, plura adhuc reperiri & hodiernæ Masoræ adjici posse; quis enim credat Bombergum vel quenquam alium nactum esse omnia hic illicve locorum apud hunc vel illum delitescencia? Quin & hodie num ex collatione variorum exemplarium plures lectiones variantes colligi, certior calculus vocum, literarum, &c. institui, plures observationes adjici, Masoraq; auctior reddi possit. Sic Ludov. Capellus *Crit. sacr.* l. 3. c. 19. ex variis Bibliorum ab annis centum editionibus, puta, Bombergi, Plantini, Rob. Stephani, Münsteri, &c. inter se collatis variantes lectiones colligere instituit. Verùm de Masoræ inventoribus, restauratoribus & cultoribus præcipuis hæc impræsens dicta sufficiant.

### C A P U T III.

## DE MATERIA MASORÆ.

§. 1. Masoræ authoribus καδδωαμιν in lucem protractis, jam etiam ejus inspiciemus materiam, strictimq; dicemus, quid illa contineat & circa quænam occupetur. Omnis proinde Masoretarum labor susceptus est & versatur circa sacrum codicem, majoresq; ejus vel minutiores partes.

§. 2. Et primò quidem non desunt, qui viris Synagogæ magnæ adscribant ordinationem majorum sectionum Pentateuchi, quæ aliàs vocantur פֶּרָשִׁיִּים *Paraschæ*, quales Ebræis LIV. (vel juxta Eliam in *Tisbi* LIII.) ratione numeri respondententes septimanis anni Judaici Embolismi. Eas ex Judæis non pauci vocant תְּרַבְּרָה מִסִּינַי *Traditionem ex monte Sinai*; alii tamen easdem ad Esdræ tempora

C

pora

pora referre malunt. Ita quoque Buxtorfius *Bibl. Rabb.* p. 282. Schickardus *Bech. Happ.* p. 18. Dn. D. Mullerus *Judaism Probl.* 1. p. 12. & alii. Sententiam utramque conciliare conatur Tremellius *Comm in N. T. Syr. Act.* 13. 15. his verbis: *Morem recitandi legem in Synagogis diebus Sabbathi introductum ab ipso Mose tradunt, & deinde post reditum à captivitate ab Esdra in usum revocatum & amplificatum, adjuncta Propheetarum lectione.* Eadem habet R. Gedalias in *Schalsch. Hackkabbala*, cujus verba & plura in rem presentem habet Joh. Grojus *P. 1. Observ. in N. T.* p. 10. 11. 12. Rem verò in medio relinquit Fabricius *p. m. Partit. Cod. Ebr.* 1. 8. p. 40. 41. Certè distinctionem illam antiquam & ante Salvatoris manifestati tempora introductam esse, vel ex *Act.* 15. v. 21. manifestum evadere potest. Verùm de hac legis distinctione in Paraschas, ut & de divisione SS. in tres classes, quam itidem nonnulli Esdræ & collegis acceptam ferunt, quamque itidem jam ante ἐνοσίχωνον λόγῳ usitam fuisse ex *Luc.* 24. v. 44. colligimus, jam plura non addemus, sed eà hâc vice prosequemur, quæ ex ipsismet Masoreticis reliquiis evidentius deduci possunt.

§. 3. Occupati proinde Masoretæ fuerunt circa SSæ 1. versus. 2. voces. 3. literas. Circa versus quidem (jam præ existentes, uti dicunt Talmudici in *Megilla* citante Elia: *Quemcumque versum non distinxit Moses & sic quilibet יהוה πνεῦμα & autor, eum nec nos distinguimus*) versati fuerunt 1. Eisdem enumerando: Sic in calce *Geneseos* notarunt eandem continere versus 1534. quorum medius c. 27. 40. & suis locis *Exodum* habere 1209. quorum medius c. 22. 28. *Leviticum* 859. quorum medius c. 15. 7. *Numeros* 1288 quorum medius c. 17. 20. *Deuteronomion* 955. quorum medius c. 17. 10. ut totus Pentateuchus constet versiculis 5845. pro quâ summâ impressi codices malè habent 5245. ut  
Buxtorf

Buxtorfius in *Castigationibus* monuit. Ita & suis locis monuerunt *Josua* constare versibus 656. quorum medius c. 13. 26. librum *Judicum* 618. quorum medius c. 10. 8. Utrumq; *Samuelis* 1056. ubi medius 1. Sam. 28. 24. Utrumq; *Regum* 1534. quorum medius 1. Reg. 22. 6. *Esaiam* 1295. quorum medius c. 23. 21. *Jeremiam* 1365. quorum medius c. 28. 11. *Ezechielem* 1273. quorum medius c. 26. 1. *Αὐδὴν αὐτῶν* 1050. quorum medius Ps. 78. 36. *Proverb.* 915. quorum medius c. 16. 18. *Jobum* 1070. quorum medius c. 22. 16. *Canticum Cant.* 117 med. c. 4. 14. *Ruth.* 85. med. c. 2. 21. *Tbrenos* 154. med. c. 3. 34. *Ecclesiasten* 222. med. c. 6. 10. *Ester.* 166. med. c. 5. 7. *Danielis* 357. med. c. 5. 30. *Esdras* & *Nebemiam* simul 688. med. Neh. 3. 32. *Paralipom.* utrumq; librum 1763. med. 1. Chr. 27. 25. adeò ut versus totius V. T. in unam subducti summam faciant 23206. quem versusum computum pleriq; Esdræ ejusq; collegis acceptum ferre solent.

§. 4. Deinde circa versus occupati Masorerhæ fuerunt eos juxta varias affectiones & xéres considerando. Sic observarunt unum versusum in Ssa constantem 42. vocibus & 160. literis Jer. 21. 7. Duos tantum in lege incipere à Sa-mech Ex. 32. 8. Num. 14. 19. duos versus in lege habere omnes voces in  $\square$  exeunt Gen. 32. 14. Num. 29. 33. duos esse versus, in quibus quater adhibetur  $\text{מנן}$  Gen. 22. 7. 1. Reg. 20. 14. Tres esse versus, quorum singuli habent 80. literas, quos vide in Mas. Num. 26. 8. tres in quibus semel extat  $\text{ל}$  & quater  $\text{ל}$  v. Num. 11. 19. Tres, in quibus ter legitur  $\text{ל}$  & ter  $\text{ל}$  vid. Exod. 29. 5. Tres incipientes à  $\text{ש}$  & desinentes in  $\text{ש}$  vid. Exod. 29. 30. tres, in quibus primò occurrit  $\text{ל}$  deinde quater  $\text{ל}$  & iterum  $\text{ל}$  vid. Jer. 27. 3. tres, quos incipit & finit nomen  $\text{ל}$ , vid. Deut. 31. 3. Quatuor dari versus, in quibus semel est  $\text{ל}$  & ter  $\text{ל}$ , quos vide in Masor. Ez. 10. 2.

quatuor, in quorum singulis vocibus est littera  $\Psi$  v. Num. 26. 24. *Quinq;* occurrere versus, in quibus singulis sunt quinque voces continuæ, ex duabus literis constantes, quos vide in Mas. 1. Reg. 3. 26. *Sex;* continent aliquot voces similes sed diversi modo adhibentes copulam Vau, quos vide Num. 26. 33. *Septem* constantes quindecim vocibus, quarum media semper habet diversum Keri & Ketib, quos vide 1. Sam. 13. 19. *Octo;* in quibus nomen  $\text{מִטְרָן}$  constructur cum  $\text{מִטְרָן}$ , v. Ez. 18. 21. *Novem;* in quibus junguntur duo Synonyma, 1. Sam. 12. 2. *Decem* in lege, quos eadem vox inchoat & finit, v. Lev. 7. 19. *Undecim;* quos littera  $\text{י}$  inchoat & claudit v. Lev. 13. 9. *Quatuordecim* constantes tribus duntaxat vocibus, v. Exod. 28. 13. *Uiginti duos;* in quibus nec Vau nec Jod occurrit, vid. Num. 7. 14. *Uiginti sex* complectentes omnes literas Alphabeticas, quos vide Ezech. 38. 13. quos inter insignis unus, qui & finales continet Zeph. 3 v. 8. Conf. Buxtorfius *Tib. t. 12.* & consulantur ipsa citata loca, investigenturq; ex Concordantiis parallela ratione hujus Masoræ, & dispalescet, quam miranda fuerit patientia stupendusve labor authorum istius portionis Masorethicæ, quam nos tamen posterioribus potius quamquam non Tiberiensibus Masorethis, quæ Esdræ & collegis adscriberemus.

§. 5. Sed intra hos terminos nondum substitit Masoretharum diligentia, sed occupati illi circa versus quoq; fuerunt. 3. *Eorum Ellipticum sensum considerando.* Annotarunt scilicet Ellipsin quorundam versuum in sensu, ne aliquis suspicaretur defectum vel hiatum in textu. Huc nos referimus Masoretarum 1.  $\text{פסקי}$  2.  $\text{סופרים}$  3.  $\text{תקון סופרים}$ . Quantum ad *primum*, reliquerunt nonnunquam hiatum seu spatium vacuum in scriptura, sententiam aliquam Ellipticam significantes. Sic Gen. 4. v. 8. cum dictum fuisset:  $\text{אמר קין אלהי הברא אתו}$  non subjicitur,

jicitur, quid Kain dixerit, unde quidam abesse quædam suspicari, aliique *Φαινόμενον* defectum restituere conati sunt. Ita LXX. (quibus tamen aliàs familiare supplere Ellipticas locutiones, ut *1. Reg. 232.*) Samaritanus, Syrus, Arabs Ibn Sina, aliiq; addunt: *διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον.* Vulg. V. *Exeamus foras.* Targum Hierosolymitanum hic integrum inseruit dialogum, qualem etiam in Alcoranum suum *Sur. 5.* transtulit ipse Muhammed. Masoretæ notarunt in *פד* (alibi tamen & fortè rectius) *פד 25.* locis esse *פד*, i. e. *Pausam in medio versus*, i. e. non lacunam in textu, ut periculosissimè colligunt *Corn. à Lapide*, *Job. Morinus*, *Lud. Cappellus*, *Hugo Grotius* & alii, sed Ellipsin in sensu, quam ne quis ipsi textui imputaret, cavere hac sua annotatione voluerunt Masoretæ. De loco *Gen. 4. 8.* conf. *D. Waltherus. Harmon. Bibl. Glassius Phil. Sacr. P. p. 46.* *Magnif. Dn. D. Calovius in AntiGrotio.* *Hottingerus Thes. Phil. 1. c. 2. q. 4. p. 147.* *Buxtorfius Anticrit. p. 534. & alii.* Reliqua loca ubi Masora recenset Buxtorfius *Tiber. P. 2 c. 11.* faretur se nondū observasse, ipse autem enumerat loca 23. sequentia ita in. ut de quibusdā adhuc dubitet, *Gen. 14. 8. c. XXXV. 22. Num. XXVI. 19. Deut. 11. 8. Jos. IV. 1. c. VIII. 24. Jud. 11. 1. 1. Sam. XIV. 13. 20. 37. c. XVI. 12. c. XIX. 21. c. XXIII. 2. 11. 2. Sam. V. 2. 19. c. VII. 4. c. XXIV. 11. 1. Reg. XIII. 20. 2. Reg. 1. 17. Es. VIII. 3. Ezech. III. 17. c. XLIV. 15.* Secundò occurrunt quinque loca dicta *פד* i. e. *Ablatio scribarum.* Ea sunt *Gen. XVIII. 5. Gen. XXIV. 55. Num. XII. 14. Ps. XXXVI. 7. Ps. LXVIII. 26.* in illis scilicet scribæ sive Esdras cum collegis abstulerunt vel potius non legendum nec ad textum spectare monuerunt literam Vau, quam vulgus majoris perspicuitatis gratia addiderat: quare ab imperitis præter rem & rationem Masorethæ sacrilegii postulantur, cum tamen nihil ad textum spectans abstulerint, sed tantum textui aliquid ad eum non perti-

nens frustra & sine causa addi monuerint. Conf. R. Jacob ben Chajim *Pref. in Bibl. Venet.* Buxtorf. *Lex Tal'm.* p. 1597. *Et Tiber. Comm.* 1. c. 8. Hottingerus *Tbes. Phil.* 1. c. 3. f. 4. p. 432. Leusdenius *Diss.* 3. *præmissâ Jone illustr. sect.* 8. *Et alii.* Tertio occurrunt octodecim loca, quæ vocantur תקון סופרי i. e. *Correctio*, sive potius *ordinatio scribarum*. Ea extant *Gen. XVIII.* v. 22. *Num. XI.* 15. duo. 1. *Sam. III.* 13. 2. *Sam. XVI.* 12. c. XX. 1. *Ezech. VIII.* 17. *Habac. I.* 12. *Malach. I.* 13. *Zach. II.* 12. *Jer. II.* 11. *Job. VII.* 20. c. XXXII. 3. *Hos. IV.* 7. *Pf. CVI.* 20. *decimum octavum* locum, qui adhuc desideratur, Glassius ex *Ibren.* 3. 20. restituit, adjunctus Masora quædam manuscripta textuali ad *Ezech. 8.* 17. *Ordinatio scribarum* dicuntur propterea, quæ scribæ, Esdras scilicet cum collegis, (nam Masora locum, *Num. XI.* 15. expressè vocat תקון עזר) forte an animadvertentes sciolos quosdam vulgo persuadere, antehac aliter scriptum fuisse vel scribi de jure debuisse, lectionem autem pristinam sublatam esse, quod contineret aliquid prima fronte divinæ majestati minus conveniens, monuerunt nunquam aliter lectum vel scriptum fuisse, adeo quæ ordinârunt ita & non aliter legendum esse. Sic E.g. *Gen. XVIII.* 22. dicitur: וַאֲבְרָהָם עומד לפני יי Et Abraham adhuc stabat coram Domino. Ratio *συναφείας* videtur, & requirere, ut dicatur: וַיִּהְיוּ עומד לפני אברהם Et Dominus adhuc stabat coram Abrahamo. Quidam ergo scioli & ὑψιλοφρονῆτες dixerunt etiam quondam ita scriptum, verum orationem deinceps aliter inflexam esse, quia videbatur divinæ majestati inconueniens, ut staret coram Abrahamo, æquius autem, ut Abraham staret coram illa. Monuerunt ergo Scribæ in textu nihil mutatum, sed ita ab ipso authore scriptum ac proinde ita & non aliter legendum esse. Idem esto judicium de aliis. Et si ponamus quosdam ex κενσοφίαι ita de lectione SSæ divinasse, nullam tamen ii habuissent suæ



suæ suspiciõnis rationem. Nam quomodo inconve-  
 niens divinæ majestati,  $\text{ἢ καὶ ἀνομιὰς}$  stet coram homi-  
 ne? Annon magis gloriæ divinæ detrahere videtur, quod  
 dicitur descendere ad videndum &c. num ergò isti scioli  
 vellent omnes ex SSA. tollere  $\alpha\iota\theta\epsilon\omega\pi\omega\pi\alpha\ \delta\epsilon\acute{\iota}\alpha\varsigma$ ? Quid quod  
*Gen. 19. v. 27.* lectio hodierna satis manifestè comprobe-  
 tur. Nulla proinde causa est, quod Galatinus *de A. C. V.*  
*l. 1. c. 8.* Lindanus *Panopl. Evang. p. 378.* & alii ista loca à Ju-  
 dæis corrupta & nefariè interpolata esse clamitent, Conf-  
 cum primis Classius *Phil. l. 1. Tr. 1. p. 33. seqq* & variæ de Tik-  
 kun Sopherim sententiæ videantur ap. Hottingerum  
*Tbes. Phil. p. 427.*

§. 6. Jam quoq; exponendum, quid præstiterint  
 Masorethæ *circa voces.* Earum proinde observârunt &  
 annotârunt 1. *Numerum.* Quamvis enim hodie non ha-  
 beamus omnium vocum computum in Masora, tamen  
 nullum est dubium, Masorethas, cū numerarint omnes  
 literas annotarintve quoties singulæ occurrerent, etiam  
 supputasse, quoties vox quælibet in Scriptura usurpe-  
 tur. Sed hæc Masoræ pars ex Concordantiis repeti fe-  
 rè posset. Extant tamen observationes Masoreticæ  
 de multis vocibus, quoties occurrant. Sic *Jon. 2. 6.* Ma-  
 sora magna notat vocem  $\text{לְרַשׁׁי}$  in universa SSA. quater  
 tantummodo inveniri, &c. Sic ubi varietas aliqua sese  
 offert, quoties ista reperiatur, in hodiernis Masoræ re-  
 liquiis accuratè notatur. 2. *Locum;* Sic ad  $\text{וְהָאָרֶץ}$  *Gen. 1. 2.*  
 notant Masorethæ vocem eam octies esse initium versû:  
 & *v. 30.* vocem  $\text{לְכָל}$  dicunt versum quater inchoare.  
 Sic minutas particulas diligenter supputârunt, monue-  
 runtve quoties primæ in versu essent, ut de versuum ini-  
 tiis hac ratione indubitato constaret. 3. *Syntaxin*  $\text{ἢ ἔστιν}$   
 ad alias voces. Sic observarunt verbum  $\text{אָמַר}$  dicere,  
 cum  $\text{אָמַר לַיהוָה}$  ad DEUM, novies constructum reperi-  
 ri; ver-

ti; verbum **ירא** *Timere*, cum **אלהים** *DEUM*, septies;  
 verbum **נשבע** *jurare* cum **באלהים** *per Deum* quater: ver-  
 bum **עלה** *ascendere*, cum **אלהים** *ad DEUM* ter, &c.  
 Loca vide in Masora finali Alphabetica v. **אלהים**. 4.  
*Significationes*: ubi scilicet ambiguitas quædam oriri pos-  
 sit. Sic *Gen. 26. 12.* notat Masora nomen **שערי** aliàs qui-  
 dem *portas*, at in hoc unico loco notare *mensuras*, nec  
 amplius in tali significatu in SSA. occurrere. Sic *Pf. 22. 17.*  
 ad **כארי** notat Masora: *duo esse cū Kamez, sed in diversa signi-*  
*ficatione.* Unde cum vox ista in altero loco *Es. 38. 13.* sine  
 dubio denotet *leonem*, in psalmo isto eam significationē  
 sustinere non potest, sed potius vertenda est: *Foderunt,*  
 ut Græci interpretati sunt *ὠρυξαν*. Sed de eo nuper ex pro-  
 fesso fusiusq; egimus. Cujusmodi plura observata uti-  
 lissima in Masora passim obvia sunt. Sic etiam סכורין  
*opinionē ambigua*, quæ primo intuitu aliquis existimaret  
 aliter legenda vi *συνεπείας* esse, suis locis authores Maso-  
 ræ diligenter annotarunt. Sic *Gen. 19. 23.* scribitur **השמש**  
**יצא** *sol prodibat*, ubi juxta syntacticas regulas scriben-  
 dum fuisset **יצא** vel **יצא** cum **שמש** aliàs sit Fœminini  
 generis. Sed Masora parva addit **סכורין יצא** / **ג** *Tria*  
*putantur lege debere* **יצא** quò scilicet lectorem moneret,  
 licet cōstructio ista communes regulas violare videatur,  
 tamen lectionem istā veram nec à quoquam mutandam  
 esse. quæ de re adeundus Buxtorfius *Anticrit. P. 2. c. 13. p.*  
*951. f. 5. Adjunctas imperfectiones vel abundantias.* Si E. g. li-  
 teræ *Jod* vel *Vau* quiescentes voci cuidam additæ sint, cui  
 aliàs semper addi non solent, indicant Masorethæ, quod  
 sint **מלאים** loca plenè cum literis quiescentibus *scripta*,  
 & quod **חסרים** *defectiva* s. literis quiescentibus destitu-  
 ta. Sic *Gen. 2. 7.* notatur semel scribi plenè **ויצא** cum *Jod*  
 quiescente, cum aliàs semper scribatur **ויצא**. Sic *Jon. 1. 7.*  
 observatur verbum **ויפל** non amplius occurrere sine,  
 quic-

17

quiescente. Idem censendum de quiescentibus נ & ה.  
 Sic E. g. Lev. II. II. ad verbum מצתי in margine notatur,  
 scribi cum defectu Aleph pro מצאתי, &c. 6. *Varietates*  
*lectionis.* Hinc decantatissimum illud קרי וכתוב *Keri &*  
*Ketibb*, ubi alia lectio annotatur in margine ab ea quæ  
 habetur in textu. Hujus breviter notamus 1. *Numerum:*  
 Enumerantur sc. ab *Eliu Levita* aliisque 848. vocabula in  
 SSe. diversimodè, aliter in textu, aliter in margine lecta.  
 Ita *Elias Oçtern.* 7. p. 5. a. רע לך כי כאשר הפצתי לדעתי  
 מניין כה הקריין וכתבן שבכח המקרא / ועברתים אל  
 יד מונרה / לנה אחרי ולנה שתים. ומצאתי מניינם  
 i. e. Scito, postquam  
*lubenter scire volui numerum aliter lectorum & aliter scriptorum*  
*totius SSe. revocavi ea sub calculum, non semel neq; bis tantum*  
*& inveni summam eorum 848. inclusiq; symbolo mnemoneutico*  
*KARIAN VECATBAN* (ubi eadem retinetur significatio  
 & tamen verus exhibetur numerus) sed plures dari vo-  
 ces aliter in textu & in margine scriptas testis est *Buxtor-*  
*fius* & accuratè codices impressos inspicienti facilè pa-  
 tet. 2. *Differentiã & diversitatem,* Neq; enim lectio uno co-  
 demq; variat modo. Aliquando deficit litera, aliquan-  
 do redundat: aliquando transposita, aliquando trans-  
 formata est: vox integra quandoq; deest, quandoq; su-  
 perflua, quandoq; una in duas divisa, quandoq; in duas  
 dividenda &c. Dignæ quæ huc referantur, à *Buxtorfio*  
*Tiber. c. 13.* propositæ observationes: ה tredecim locis defi-  
 cit ab initio, tribus in medio, 29. à fine, sic aliæ literæ plures. נ  
 duodecies scribitur in fine vocum abundanter: ד quater redun-  
 dat ab initio: ה septies redundat ab initio: י 43. locis redundat  
 in fine: ב undecies ab initio scribitur & legitur pro eo כ: 22. vo-  
 ces sunt, quæ scribuntur cum י ab initio & leguntur cum י: 76. vo-  
 ces scriptæ sunt in medio cum י & lectæ per י: 56. voces scriptæ ab  
 initio cum י & lectæ per י: 62. voces sunt, in quibus litera י trans-  
 posita

D

posita

posita est: 10. voces non sunt scriptæ in textu & tamen leguntur:  
 8. voces scriptæ sunt, sed non leguntur & hujusmodi varia, quæ  
 singula in Masora sunt observata & suis locis annotata. 3. Occasio-  
 nem & originem: quædam variantes lectiones casu natæ  
 sunt, tribuenda injuriæ temporum; quædam destinato  
 consilio factæ; ut, cum pro vocibus quibusdam obscœ-  
 nis, non per se & primâ suâ origine, sed successu tem-  
 poris ex opinione hominum talibus, ne vulgo scanda-  
 lum præberetur vel vilesceret sacrarum literarum au-  
 thoritas, substitutæ sunt honestiores pro ista temporis  
 ratione, sc. pro  $\text{שגל}$  legendum monetur  $\text{שכב}$  Deut. 28. 30.  
 Es. 13. 16. Zach. 14. 2. non, ut rectè notat Naimonides, quod  
 $\text{שגל}$  quoad primam sui originem ipsum actum venerè  
 exprimat, sed quod successu temporis inter homines  
 talis ejus ortus sit usus. Sic pro  $\text{מרחצאות}$  latrinae 2. Reg.  
 10. 27. legendum  $\text{מיצאות}$  loca egestionis. Sic pro  $\text{חריונים}$   
 sterces columbinum 2. Reg. 6. 25.  $\text{רביונים}$  fluxus columbarum:  
 pro  $\text{עפלים}$ , quod est cognomen obscœnum partium  
 naturalium 1. Sam. 6. 17.  $\text{פחרים}$ : pro  $\text{ושיניהם}$  urinae  
 eorum 2. Reg. 18. 27.  $\text{מימי רגליהם}$  aqua pedum eorum. Perin-  
 de, ait Schickardus Beck. Happ. p. 54. ac si quis bodie Pauli-  
 num illud Phil. 3. v. 8. Ich achte es für Dreck / verecundia gra-  
 tia neve juniores offendat, in solenni Ecclesia conventu efferret,  
 Ich achte es für Roth / & sic publicè semper legendum esse Mar-  
 gini annotaret; retendis nihilominus (ob proprietatis Emphasin)  
 in scripto textu formalibus Lutberi verbis. Ejus  $\text{Ολαβείας}$  au-  
 thores si quis Esdram cum Synedrio statuere velit, cum  
 posteriores Masorethæ tale quid ordinandi vocalibusq;  
 ab Esdra additis expunctis alias literis sacri codicis sub-  
 sternendi licentiam sibi vix sumsisse videantur, nos non  
 habebit contradicentes. 4. *Authores*: ubi vix possumus  
 concedere in Talmudicorum sententiam, qui tradunt  
 $\text{הלכתי מסיני קרי וכתוב}$  traditionem ex monte Sinai, seu  
 ab

ab ipsismet authoribus librorum sacrorum profectum, nam si viventibus authoribus aliquid mendæ irreplisset, in promptu erat ad ipsos eorumq; ἀντιγγραφα provocatio, nullaq; opus variantium lectionum annotatione. Videtur ergò τὸ כתיב וקרי re Judæorum publicâ & Ecclesiasticâ per Babylonicas calamitates valde afflictâ prius manum admovisse Esdras cum Magno Synedrio, ita ut sphalmata exemplarium à vulgo tritorum disertè notaret & indicaret. Licet verò hac ratione Esdras cum collegis summo studio cavisset, ut sacro codici sua constaret integritas, tamen urgentibus Judæos, postquam Principem vitæ sustulerant, duris fatis & doctoribus in compilando & expoliendo Talmude districtis, successu temporis codices numerosior occupavit varietas. Hinc verisimile Tiberienses ab Esdra & aliis collectas varietates lectionis retinuisse, & easdem auxisse non suis ipsorummet ἑσχατοις sed ex collatione accurata emandatissimorum codicum. Quin & post hos alii novas observârunt differentias, quarum vel in Grammaticis vel exegeticis libris suis meminerunt. Ergò non omne כתיב וקרי est ejusdem originis vel generis. Conf. Buxtorfius Fil. in *Anticritica* P. 2. 4. Hottingerus *Thef. Phil.* p. 415. f. 5. *Usus & auctoritatem*, de quibus infra seorsim dicemus.

§. 7. Tandem & circa ipsa elementa occupati Masoretæ fuerunt. Partim quidem *circa literas*, partim *circa vocales*, partim *circa accentus*. Circa *literas* observando earum 1. *Numerum*: diligentissimè nimirum numerârunt literas totius SSæ. & annotârunt quoties quælibet in universo sacro codice usurpata occurreret. Extat hac de re carmen quoddam, quod Elias adscribit *Raf Saadie Gaon* Rectori Academiae Soranæ circa annū Christi Salvatoris 927. illud ex Elia in medium proposuit &

dexterrimè illustravit Buxtorfius *Tiber. P. 1. c. 18.* unde nos  
 impræfens solum Schema numerorum defumemus.  
 Occurrit in Sacro codice lit.

א	42377.	ב	23447.	ג	24973.	ד	16950.
ה	38218.	ו	11052.	ז	32977.	ח	4872.
ט	29537.	י	66420.	יא	8719.	יב	22972.
יג	32530.	יד	37272.	טו	13580.	טז	22147.
יז	47754.	יח	10981.	יט	20175.	כ	32148.
כא	76922.	כב	41517.	כג	20750.	כד	36140.
כה	22867.	כו	52805.	כז	1975.	כח	23203.

vicibus. Hi numeri omnes in unam collecti summam  
 producunt 815280. literas Ebraicas totius V. T. Schickardo  
 subducente calculum, quem nos iterata computatione  
 verum deprehendimus. Non sine causa autem monet  
 Schickardus numerum istum re numeratâ minorem esse  
 & computatione pingui modò Minerva instituta non  
 prodire literas pauciores 1236. millibus: unde suspi-  
 catur numerum literarum legalium omisum esse, id  
 quod ita esse & nos comperimus. Cœterum Legem  
 constare 6000. 45. literis censet Elias *Octern. Vaup. 2. 4.*  
 מספר אותיות של התורה ששים רבוא וארבעים  
 וחסר Verum iste numerus Elianus procul dubio cor-  
 ruptus minusve accuratè subductus est. Pentateuchus  
 enim 1. quarta pars omisus quibusdam minutiis to-  
 tius V. Testamenti, quod si ergo Eliæ calculus admitten-  
 dus foret, provenirent non 1236. sed ultra 2400. millia li-  
 terarum. 2. Media litera totius Pentateuchi est, vocis  
 חון Lev. XI. v. 42. uti testantur Masorethæ ad eum Ioum  
 & Talmudistæ *Kidduschin c. 1. f. 30.* & eandem, ut ut non  
 sit exactè media, ab illa tamen statione non procul ab-  
 esse, παχυλαῖς ostendi potest tum ex proportione pagina-  
 rum: sic E.g. in editione Bibliorum Menasseh ben Israë-  
 lis, Pentateuchus 128. absolvitur foliis, vox autem illa

חון

׀׀׀׀ exat f. 66. tum ex proportione versuum, nam medius  
 versus extat Lev. 13. 33. & abest versibus tantum 46. ab eo,  
 qui continet vocem ׀׀׀׀: tum ex proportione vocum,  
 nam vox media Pentateuchi extat Lev. 10. 16. & sic non  
 procul abest à nostra voce. Jam usq; ad literam ׀ vocis  
 ׀׀׀׀ à principio Geneseos, uti summâ cū diligentia sub-  
 duximus calculum, continentur 158946. literæ, quæ du-  
 plicatæ producunt 317892. (vel additâ mediâ 317893) lite-  
 ras totius Pentateuchi: ad quas literæ reliquæ SSæ. fer-  
 mē triplam habent proportionem. Ut quidem exactè  
 tripla esset, requirerentur 953676. sed huic excessui op-  
 ponatur, quod Pentateuchus etiam non sit exactè quarta  
 pars scripturæ. 3. Præterea Eliæ non insolens est in sup-  
 putatione cespitare. Nam cum istum literarum Penta-  
 teuchi numerum proposuisset, subdit Sectionis primæ  
 Bereschit literas esse 1915. ubi tamē Buxtorfius putat plu-  
 res esse, quàm quinquies mille, & nos accuratè subducto  
 calculo 7233. reperimus. 4. Masoræ denique calculum,  
 ubi ipsi eum; quantum per otium licuit, recognovimus,  
 deprehendimus in plerisq; non procul aberrare à scopo.  
 Sic ad ultimam sectionem Geneseos notat ejus literas  
 esse 4395. nobis provenerunt 4448. & sic superant 53. sive  
 jam Masorethæ quendam versum non computârint, sive  
 alteruter nostrum in computatione erraverit, non mul-  
 tum interest inquirere. Sufficit nobis, quod calculus  
 Eliæ ex his *10 9 eias* convincatur. Noster verò numerus  
 literarum Pentateuchi si addatur summæ literarum reli-  
 quarum SSæ. 815280. prodibunt 1133173. quibus 102827. de-  
 sunt ad complementum summæ 1236000. quæ ex rudiori  
 subductione Schikardi prodibat. Non itaq; temerè  
 vel hic incusandi Masorethæ, quorum stupendum labo-  
 rem non nisi expertus satis agnoscere potest: qui otio  
 abundat, faciat ipse met periculum & aliam producat  
 D 3 litera-

literarum summam. 2. *Figuram*, notanter literas quasdam  
 ratione figuræ variè affectas & 1. quidem *Majusculas*, 2. *Minusculas*. 3. *Inversas*. 4. *Suspensas*. 5. *Punctatas*. 6. *Transformatas*. Primò ergo numerarunt Masorethæ triginta literas cœteris *maiores*, nim. N. I. Chron. 1. 1. Gen. 1. 1. Lev. 13. 33. Deut. 6. 4. Deut. 32. 6. Lev. 11. 42. Est. 9. 9. Mal. 3. 22. Est. 1. 6. Job. 9. 34. Eccles. 7. 1. Num. 14. 7. Ps. 80. 16. Deut. 29. 28. Lev. 11. 30. Prov. 1. 1. Exod. 34. 7. Rut. 3. 13. Num. 27. 5. Eccles. 12. 14. Num. 13. 30. Deut. 6. 4. Dan. 6. 20. Gen. 30. 42. Es. 56. 10. Ps. 84. 4. Exod. 34. 14. Cant. 1. 1. Deut. 18. 13. Est. 9. 29. Hujusmodi literæ majusculæ non fuerunt fortè fortuna natæ, vel saltem non omnes, neq; tamen ad ea designata mysteria adhibitæ, ad quæ à Judæastris trahuntur. Aliquando sunt *Emphaticæ*, ad rei tractatæ altiorem considerationem, majorem admirationem, diligentiore attentionem excitandam adhibitæ: ut Deut. 6. 4. c. 32. 6. Mal. 3. 22. Exod. 34. 7. Eccl. 12. 14. Deut. 18. 13. & c. aliquando *mysticæ*, ut Ps. 80. 16. aliquando *symbolicæ* & *criticæ*, sic Lev. 11. 42. est media litera totius Pentateuchi. *Secundò* triginta tres literas cœteris *minores*, nim. N. Lev. 1. 1. Prov. 30. 15. Job. 7. 5. Prov. 28. 17. Gen. 2. 4. Num. 25. 12. Ps. 24. 4. Est. 9. 9. Job. 33. 9. Thren. 2. 9. Deut. 32. 18. Gen. 23. 2. Thren. 1. 12. Deut. 31. 27. Lev. 6. 2. Neh. 13. 30. Thren. 4. 14. Es. 44. 14. Jer. 39. 13. Prov. 16. 28. Nah. 1. 3. Ps. 27. 5. Thren. 3. 36. Dan. 6. 20. Jer. 14. 2. Job. 16. 14. Exod. 32. 25. Gen. 27. 46. Ex. 23. 19. c. 34. 26. Est. 9. 9. Est. 9. 7. Est. 9. 9. De hisce literis minusculis idem esto judicium, quod de majusculis. Inter alia quædam adhibitæ videntur ad indicandum contemptum personæ, de qua agitur, ut Est. 9. v. 7. 9. ubi sermo de filiis Hamanis. Sic Deut. 31. 27. de Israëliis rebellibus. Ita Prov. 16. 28. Exod. 32. 25. & c. *Tertiò* observarunt literas quasdam *inversas* & *contortas* ut Nū. 10. 35. Num. 11. 1. & c. *Quartò* quatuor supra reliquas

reliquas



reliquas *suspensas* s. quasi *pēdulas*, nīm. כ Jud 18.30. y quæ me-  
 dia litera in Psalmis Pf. 80. 14. eadem Job, 38. 13. & v. 15.  
 Conf. de hisce Buxtorfius *Tiber. c. 14. 15. & 16.* Quintò anno-  
 tarunt literas *punctis* quibusdam insolentibus *insignes*,  
 quales observarunt in quindecim vocibus וביניך Gen. 16.  
 5. אליו Gen. 18. 9. ובקומרו Gen. 19. 33. וישקהו Gen. 33. 4. את  
 Gen. 37. 12. ואלהרן Num. 3. 39. רחקה Num. 9. 10. אשר Num. 21.  
 30. ועשרין Num. 29. 15. ולבנינו Deut. 29. 29. יצא 2. Sam. 19.  
 20. המם Es. 44. 9. ההיכל Ez. 41. 20. מהקעות Ez. 46. 22. לולא  
 Ps. 27. 13 De talibus punctatis vocibus censura Leusdenii  
*l. c. sect. 5.* est: *Vel casu in textum irrepsisse inter tempora Esdra  
 & confectum Talmud; vel certo consilio à quibusdam Judæis iis-  
 dem temporibus esse addita, & quidem ut efficta quadam mysteria  
 ex textu elicerent.* Verùm temeraria quodammodò vi-  
 detur hæc censura: nam non constat Leusdenio de au-  
 thoribus istorum punctorū, quos quidem ante Talmu-  
 dianos fuisse certum est ex *Berachot. c. 1. f. 4.* eorum tem-  
 pus tamen certò definiri non potest: neque etiam loca  
 omnia ejusdem sunt generis. Nobis videntur ista pun-  
 cta inter alia adhibita fuisse ad excitandam admiratio-  
 nem, ut *Gen. 19. 33.* ad quem locum notat Hieronymus  
*Quæst. in Gen. Appingunt de super, quasi incredibile & quod re-  
 rum natura non capiat, coire quempiam nescientem:* Sic *Gen. 33.  
 4.* osculandi verbum punctis notatum, quod mirum,  
 hominem tam efferum ita placatum & mitem factum  
 esse, ut Jacobum oscularetur &c. aliquando ad notan-  
 dam emphasin *Gen. 16. 5.* &c. quandoq; fortè puncta talia  
 sunt mystica, licet nobis non omnia in tanta Masoræ  
 confusione & defectu pateant. Ficta Judæorum myste-  
 ria neq; nos curamus. Conf. Buxt. *Tib. c. 17.* Sextò deni-  
 que notârunt literas planè insolitæ figuræ. Sic *Es. 9. 7.* in  
 voce למרברר occurrit Mem finali in medio, ut multi  
 existimant, mysticum. Contra *Neb. 2. 13.* in voce מה  
 mem

mem medianum pro finali adhibetur: sic *Job. 38. 1.* in voce *West Nun* medium pro finali. De annotationibus Masoretharum circa vocales & accentus, ne nimium præfens nostra excreseat tractatio, consulatur Buxtorfius *Tiber. P. 1. c. 9.* ubi omnia fulissimè persecutus est. Impræfens notamus tantummodo loca, in quibus vocales ponuntur sine consonis, nim. *Rut. III. 5. & 17. Thren. I. 18. II. 2. V. 3. & 5. Jud. XX. 13. 1. Sam. XIV. 32. 2. Sam. XVI. 23. VIII. 3. XVIII. 20. XX. 23. 1. Reg. IV. 7. VII. 20. XV. 18. 2. Reg. XI. 20. XV. 25. XIX. 31. XX. 13. Es. XXVIII. 15. Jer. X. 13. XVII. 19. XVIII. 23. XXXI. 38. L. 29. LII. 32. Ezech. XVIII. 20.* quæ loca ex editione Menasseh ben Israël ipsi collegimus. Judicent autem cordatiores: utrum probabilius dicatur puncta sola & sine literis in quibusdam exemplaribus scripta & literas deinceps ex aliis codicibus à Masorethis restitutas marginiq; additas esse? an: puncta ista in plerisq; codicibus planè abfuisse & Masorethas ex aliis exemplaribus eadè cum literis restituisse, ita ut literas margini, vocales textui adderent? Nos malumus ἐπιχειν, quanquam in priorem sententiam proniores. Et tantum quoque de Masoræ materiâ.

#### CAP. IV.

### DE FORMA MASORÆ.

§. 1. *Interna Masoræ forma* pro ratione materiæ variat, uti ex parte manifestum esse potest è præcedentibus. Ad *externam* ejus *formam* pertinet tum *genus idiomatis*, tum *dispositio ejus hodierna*. Quod ad *idioma*, sermo & termini technici Masoræ ferè sunt *Chaldaici*, ipse stylus difficillimus & intricatissimus. Unde Elias Levita in libro suo *Masoret hammasoret* incepit plerosq; Masoræ terminos, ut & phrasas explicare atq; declarare, cum verò ille & obscurior & alicubi æquo brevior esset, denuò rem aggressus

sus

aggressus est Buxtorfius & in Clave Masoræ P. 2, Tiberiadis completam & dilucidam vocum, phraseon & abbreviationum Masoreticarum exhibuit expositionem, cujus Viridiligentiam in hoc studiorum genere non satis commendare possumus. Neq; diffitemur ejus Tiberiada nos bis ceu Helicen & Cynosuram fuisse.

§. 2. Quod ad Masoræ dispositionem externam, ea olim alia erat, ac hodie est. Non quippe adscribebatur margini sed in separatis exhibebatur chartis & schedis, quæ propter amplissimam tam fertilis materiæ ubertatem, progressu temporis in tantam molem excrevere, ut justum volumen constituerent, & vel ipsum textum quantitate excederent. Masoram proinde primitus in separatos libros relatam esse docent antiquissima in pergamento manuscripta exemplaria, quæ hodiernum apud Judæos extant & quibus seduli Masoræ cultores R. Jacob ben Chajim & Elias Levita suo tempore usi fuerant. Ex variis Masoræ codicibus extractus olim erat liber quidam à frontispicio suo ACHLA denominatus, qui conjunctim exhibebatur, quod alibi per multas schedas dispersum tradebatur. Is nunquam impressus, Eliæ tamen visus & usurpatus est, qui eum commendat Oclern, 2. p. 2, h. his verbis: *ועם כל זה צמאי לרוות/ נפשי ליה יכלה/ בו אם מספר אכלה. והרבה ממנו לקטת/ וכליו בירי נקטת/ וחוא ספר קטון הכמות/ ובמסורת אין לו הרמות ונכברות/ בו מדובר/ ולת נמצא מחובר/ המדבר i.e. Et cum omnibus istis ego sitibundus animum implere noquivi aliunde, nisi è libro ACHLA, unde plurima collegi & regulas ejus manu mea obtinui. Liber iste licet parvus sit quantitate, in Masora tamen non datur ei similis. Præclara continet, neq; reperitur alius liber concinnatus, qui loquatur de Masora & regulis ejus, nisi ille solus in mundo.*

E

§. 3. Tem-

§. 3. Temporis verò progressu, ne textus Biblicus  
 omni Masorâ ejusq; usu destitueretur, in finiora qua-  
 dam excerpere & sacro codici sed valdè compendiosè per  
 literas numerales, abbreviationes & symbola obscura  
 atq; anigmatica, & voces, adscribi, voces verò, ad quas  
 breviculæ istæ notæ reverendæ essent, circumlo desuper  
 insigniri cœperunt: hac de re Elias *Pref. 3. circa fin.* ait:  
 אכן בגליונות שבצדדי הספרים זבין העמודים כתבו  
 הרמזים והסימנים וסכומם המלות והעניינים בקצור  
 מופלג בראשי תיבות ובנוטריון והוא הנקרא מסרה  
 קטנה: *Veruntamen in marginibus, qui sunt ad latera libro-  
 rum & inter columnas scripserunt signa & symbola & numerum  
 dictionum & rerum brevitate miranda per abbreviaturas & No-  
 tarikon & id vocatur Masora parva. Hæc ille.*

§. 4. Quum autem Masora magna publicè inno-  
 scere cœpisset & varia hic illicve ejus circumferrentur  
 exemplaria, existimarunt è repræsenti esse Ebræorum  
 sapientes, ut pleraq; ipsi codici adscriberentur. Scientia  
 proinde Masoretica, tumidi, quæ verba sunt Buxtorfii  
*Iber. P. 1. c. 19.* & superbientes (ut natura gentis Judaica  
 semper fuit & etiamnum est sibi placens & de suis virtutibus glo-  
 riosissima) cœperunt Masoram particulatim singulis paginis libro-  
 rum Biblicorum adscribere, non tam boni publici causâ, quàm ut  
 scientiam suam inanibus bullis in publicum proflarent & exter-  
 nam scripturae suae speciem variis figuris, imagunculis & flosculis  
 exornatam, populo ostentarent & liberaliori argento emunge-  
 rent. Tale exemplar Bibliorum Masorâ instructum vi-  
 dit Schikardus, de quo *Pref. in Bech. Happer.* sequentia  
 habet: *Non satis intellexeram verba Eliae Levitæ (Præf. secun-  
 da rhythmicâ) donec superiori anno vidissem ingens illud & pre-  
 tiosum exemplar Bibliorum, quod Capnio quondam à divo Maxi-  
 miliano I. Rom. Imp. dono acceptum, moriens patria sua S. P. Q.  
 Phorcensi legaverat, nunc verò illustrissimus Marchio Badensis  
 & c.*

&c. possidet, atq; ante aliquot secula, pro R. Abraham ben Meir  
 Aben Ezra exaratum esse, Buxtorfius consultus, ex hac clausula  
 וְרַבְרָבִּי אֲבָרָהָם בֶּן מֵיִר אֲבֵן עֲזָרָא probabiliter sanè collegit. Ibi in librorum vestibulis  
 observavi notas Masoreticas minutissimis literulis non linea-  
 tim sed instar pictura, tam affabrè conscriptas, ut eminus inspe-  
 ctus leonum, ursarum, boum, ovium, &c. imagines crediderim,  
 nec artificii fraudem prius senserim, quàm oculis membranae co-  
 minus admotis iatuitus essem proximè. Cum igitur in hoc orna-  
 tu tantoperè priscos Hebraeorum librarios luxuriasse cerne-  
 rem, non ultra miratus sum, quod in re alioquin ad superstitionem usq;  
 diligentissimà, quaedam omiserint, quae scilicet animalis icon non  
 taperet; unde prima depravationibus occasio data fuit. Eadem  
 est querela Eliæ Levitæ loco cit. Sed & simile exemplar,  
 ubi Masora in tales figuras redacta esset, attulisse Jacobum  
 Golium ex oriente refert Leusdenius l.c. sect 9.

§. 5. Tandem, ut supra dictum, Masora auspitiis  
 Danielis Bombergi publicè excudi cœpta & Bibliis Veneris  
 adjuncta, à R. Jacob ben Chajim, Afro Tunetano autem de-  
 nuò ita disposita est, ut tribus jam distinctis locis exhi-  
 beatur, & pro diverso situ ut & ratione styli in *Parvam*,  
*Mediocre* & *Maximam* distingui possit, de qua divisione  
 nobis jam ulterius est dispitiendum. *Masora parva* di-  
 citur compendiaria (קצור מסורה) illa, quæ duabus co-  
 lumnis, Ebraeo scilicet & Chaldaico textui interjacet  
 unde *Intercolumnaris* dici posset: hæc meris constat ab-  
 breviationibus, literis numericis & symbolicis, non  
 omni lectori intelligibilibus. Vox textus ad quam nota  
 Masoretica pertinet, circello supernè notatur: hinc si  
 ad unam lineam plures extent notulae, totidem iis cir-  
 celli respondent. Loca Biblica parallela hic nulla ad-  
 ducuntur, nisi fortè vox quaedam bis tantummodò oc-  
 currat. Sic vox aliqua quater, quinque aut sæpius re-  
 periat, pro symbolo Locorum Biblicorum adhibetur

sententia quædam Chaldaica, rarius Ebraica: conferatur Buxtorfii *Com. Mass.* c. 1. 2. *Mediocris*, quæ & magna textualis dicitur, ad textum cujusq; folii adscripta est, occupat autem spacium supra & infra textum & quandoque ad latus ubi glossa Rabinica deficit. In ea porro primò ponitur vox textus, deinde numerus quoties reperiatur, tum subjiciuntur loca Biblica licet quandoq; non adducantur, sed in alium locum vel ad Masoram finalem remittantur. Ad eam quoq; pertinet *Masora preliminaris*, quæ passim in vestibulis librorum Biblicorum ornatus causa instar magnificæ alicujus portæ majusculis literis describitur, & lineis in quadratum dispositis exhibetur. Sic e. g. circa primam vocem Geneseos בראשית habetur Masora pertinens ad istam vocem, in qua antiquitus litera א fuit majuscula & ejus occasione effertur integrum Alphabetum talium literarum majuscularum; quæ passim per totam scripturam inveniuntur. Plura vide apud Buxtorfium *Clav. Mass.* c. 15. 3. *Masora maxima*, quæ & magna finalis vocatur, Bibliorum calcem occupat; continens illa ferè, quæ in mediocri ob spatii angustiam omissa erant; eaq; ut facilius inveniantur, Alphabeticò ordine omnia sunt disposita. Loca Biblica ad eum scopum parallela vel statim adducuntur, vel ad Masoram textualem relegantur: locorum autem citarorum nec libri, nec capita, nec versus allegantur, sed ea ex Ebraicis Concordantiis investiganda sunt. Post seriem Alphabeticam Masoræ finalis addita sunt quædam Miscellanea à collectore primitius omissa, p. 60. Deinde sequitur catalogus vocum, in quarum lectione dissentiebant duo Academiæ Judaicarum Rectores Ben Ascher & Ben Naphtali. 63. Tum sequuntur voces, in quarum lectione differebant מדרבא orientales Judæi, hoc est, Babylonii & מערבא occidentales i. e. Palæstini. Judæa enim Babylonii

nia

niæ erat occidua f. 63. fac. 2. Et tandem adjicitur שער  
הנגינות *Porta accentuum* i.e. brevis introductio in univer-  
sam doctrinam accentuum f. 66. fac. 2.

C A P. V.

DE USU ET AUTORITATE  
MASORÆ.

§. I. *Finis* studii Masoretici, ut eò tandem deveni-  
mus, est custodia integritatis Biblicæ, quam utut forte an  
Masoretæ posteriores principaliter non spectarint, divi-  
na tamen providentia vel per ignaros & aliud agentes fa-  
pientissimè est consecuta: quamvis enim illi propriam  
inde gloriam aucupari intenderent, sufficit tamen, quod  
illi, quibus concredita erant τα λόγια τῶ ἁγίων, se gesserint ut  
capsarios nostros, nobisq; studentibus libros portarint,  
ut ex *Augustino* antea diximus: Audiamus hic ipsos Ju-  
dæos. Ita *Aben Ezra Princip.* האמרו: איסור מורה  
כי יש שכר לפעולות בעלי המסורה שהם כשומרי  
חומות העיר כי בעבורם עמדה תורה יהוה וספרי הקדש  
על מתכותם בלי תוספת ומגרעת: *Revera merces*  
*magna debetur aut bõribus Masoræ, qui sunt quasi custodes muro-*  
*rum civitatis; propter eos enim perstet lex Domini & libri sancti*  
*in forma sua absq; ulla additione vel detractiõne.* Et *Elias Levi-*  
*ta Orat. 3. Hammaf.* והכלל כי הם העמידו התורה  
והמקרה על עמדם ופלי ספק לולי באוכבר כלתה  
החררה ונעשית התורה כשתי תורות ולת היו שני  
ספרים בכל ספרי המקרה שהיו מסכימים יחד... אחד  
המעשה אשר עשו בעלי המסורה או אפשר שנפלא או  
שיפול חלוק או שנוי בשום צד בכל ספרי המקרה  
ולת לחנם אמרו רזל // מסורה סוג לתורה:  
*In sum-*  
*ma: Illi (Masorethæ) redegerunt Legem & totam SSam in for-*  
*mam suam stabilem & absq; omni dubio, nisi venissent, jam con-*

E 3

sumta

*sumta esset placenta & facta fuisset lex, quasi duae leges, nec es-*  
*sent duo libri inter omnes libros Scriptura, qui inter se concor-*  
*darent. Et paulò post: Post laborem illum, quem praestite-*  
*runt Masoretha, impossibile est ut incidit, aut incidere possit in*  
*posterum varietas aut mutatio quaedam ullo modo in ullis libris*  
*Scriptura. Non enim frustra dixerunt Rabbin nostri: Masora*  
*est sepes legis. Similia habet Jacob ben Chajim Praef. in*  
*Bibl. Ven. Licet ergò Masoretharum praecipuè postero-*  
*rum crisis quandoque fuerit curiosior vel etiam supersti-*  
*tiosa, utilis tamen nobis fuit eorum curiositas & super-*  
*stitio. Unde malam iis referunt gratiam, qui eorum*  
*laborem conferunt cum arte circulatoria illius ματαιο-*  
*τεχνία, qui grana ciceris ex intervallo quodam obiecta,*  
*acuita accuratè excepisse dicitur, ut à tot millenis ne qui-*  
*dem unquam frustratus fuerit; dignus, qui à Spectatore*  
*suo Alexandro M. ejusdem leguminis modio donaretur.*

§. 2. Dicendum verò hic etiam aliquid est de *adju-*  
*cta Masoræ auctoritate*, num nimirum divina illa sit an hu-  
 mana. Circa quam quæstionem ut breviter nos expediamus,  
 existimamus distinguendum primò esse inter *Masoræ*  
*authores*. Illa quæ in Masora profecta sunt ab Esdra  
 & ejus collegis, si modo sciremus quanam & qualia illa,  
 utiq; divinæ videntur esse auctoritatis, cum Esdras divi-  
 na auctoritate instructus sacri codicis rei; Ecclesiasticæ  
 curam & revisionem in se suscepit: Sic ergò lectiones  
 ab eo è codice authentico restitutæ, & similia divinæ sunt  
 auctoritatis. Deinde distinctio etiam adhibenda inter  
*Masoram formaliter & materialiter* spectatam sive inter *id*  
*quod est Masora & id quod est Masoræ*. Materia Masoræ cum  
 inter alia sit Keri in margine additum quod certâ ratione  
 quandoq; præferendum τὸ Ketif & exhibet particulam  
 quandam integram, quantulamcunq; licet, Scriptu-  
 ræ à Masoretis, etiam posterioribus, ex emendationibus  
 codi-



codicibus restitutam, non possumus iterum diffiteri aliquid Masoræ esse divinæ authoritatis. Quod verò ad Masoretharum supputationes, computationes &c. breviter notamus rem numeratam esse divinæ authoritatis, formam & modum supputandi humanæ. Cætera, quæ hic dici possint, Theologis committimus, ut omnia juxta fidem dei analogiam dijudicentur.

§. 3. Possent quoque in specie multa in medium proferri & in utramque ventilari partem de *Keri* & *Ketif* seu varietatibus lectionis E. g. Num *Keri* sit præferendum τω *Ketif*? Num etiam Esdras autor sit quorundam *Karian* & *Katban*? Num illiqui τω *Keri* addiderunt in margine, ejus vocales addiderint τω *Ketif* in textu, hujus vocalibus sublatis? Num etiam *Keri* & *Ketif* institutum circa vocales? &c. Ad quæ singula nos, ne plane nihil dixisse videamur, tria reponemus verba. Quod ad primum ergo quæsitum excellentissimus Dn. D. Wasimuthus *Gram. Ebr. Reg. 31. p. 116. f.* censet. *Katban* à Masoretis notata meras Anomalias Grammaticas, & quomodocumque habeant, lex linguæ ὀρθογραφία & ἰερογροφία esse. Ergo Vir Clarissimus כתיב nunquam in mendo cubare censet. Contrà alii כתיב semper censent corruptum & corrigendum è *Keri*. *Broughtonus* utramque retinendum putat. Idem forte in animo habens *Junius* lectionem utramque in sua versione sæpe conjungit. Quin & CL. *Wasimuthus* כתיב & קרי miscenda quandoque vult. Nam pag. 122. ויך, *Sam. 4.* ait simul esse pro יך & pro ויך. Sic *Jos. 22.* מעבר pro מעבר & בעבר &c. Conf. & ejusdem *Disp. Inauguralis Controv. 6.* Sed judicent eruditi annon sic ἰερογροφία quædam sensus introducatur. Nec satis videmus, quæ linguæ Ebraicæ ἰερογροφία & ὀρθογραφία sit, cum E. c. כתובא habet אלהויד / מלבו pro מלבר / מאדם pro באדם / גדול pro גבול / אישמרה / שמוע pro שן מע / בעבר pro מעבר / אלהים pro

pro  $\text{מִשְׁמַר}$  / sic cum integrarum defunt vocum literæ,  
 cum integræ voces abundant &c. Et si animus fuisset  
 anomalias Gramaticas notare, quidni longè plura קריין  
 fecissent cum plura sint anomala? Nos censemus nec  
 semper  $\text{מִשְׁמַר}$  Keri  $\text{מִשְׁמַר}$  Ketif nec semper hoc illi præferendum  
 esse, cum authores Masoræ præcipuè posterioris textum  
 non emendarint, sed ejus tantum variantes lectiones an-  
 notare voluerint. Existimamus proinde 1. Veram lectio-  
 nem nunquam in omnibus exemplaribus periisse, adeo-  
 que vel in  $\text{מִשְׁמַר}$  Ketif vel in  $\text{מִשְׁמַר}$  Keri exhiberi. 2.  $\text{מִשְׁמַר}$  Ketif nun-  
 quàm facilè deserendum esse, nisi vel forma Grammati-  
 ca planè sit aliena, vel vox aliqua superflua vel parum  
 commoda evidenter deprehendatur. Tunc enim for-  
 ma grammatica genuina, in  $\text{מִשְׁמַר}$  Keri Marginali ex emen-  
 datiori codice restituta sequenda, vel vox commodior  
 ex alio itidē codice petita præferenda videtur E.g. 1. *Sam.*  
 4. 13. pro  $\text{יִי יִי}$  *Jos.* 15. 47. pro  $\text{הַגְּבוּרִים}$ ,  $\text{הַגְּדוּרִים}$  &c. unde  
 etiam B. Lutherus noster, quanquam rariùs,  $\text{מִשְׁמַר}$  Keri se-  
 cutus est. 3. in vocibus iis, quæ pro quibusdam opinio-  
 ne obscœnis adhibitæ,  $\text{מִשְׁמַר}$  Ketif rursus introduci posse,  
 cum hodie, ubi lingua Ebræa Judæis vernacula esse desiit,  
 illæ voces, quæ aliàs per se & ex sua origine nil fœdum  
 important, nec usu quidem obscœnæ esse queant. Ve-  
 rum plura in rem præsentem videantur apud D. Glasium  
*Phil. Sacr. P. 1. p. 4. seqq.* Magnif. Dn. D. Calovium *Crit. Sacr.*  
*p. 373. seqq.* Fabricium *Partit. Cod. Ebr. p. 13. seqq.* Buxtorfium  
*Anticrit. P. 2. c. 4.* Joh. Ern. Gerharum *ad Sebik. p. 26. &c.*  
 At secundum affirmativè respondendum videtur, sed ma-  
 net controversia, num Esdras lectionem veram in au-  
 thendico codice deprehensam in margine locârît, cor-  
 ruptâ in ipso textu relicta: an verò corruptam ex textu  
 sublata in marginem transtulerit & genuinam ex au-  
 thentico codice desumptam in textu reposuerit? qua de  
 re ju-

rejudicent cordatiores. Certè haud dici hodiè potest, quid præcisè profectum ab Esdra sit, quid minus. Ad *tertium* respondemus negativè: si enim Masorethæ vocales  $\tau\grave{\eta}$  Keri subdidissent literis  $\tau\grave{\eta}$  Ketif, hujusq; vocales planè abstulissent, sequeretur vel Keri semper esse melius  $\tau\omega$  Kerif vel nos non habere veras vocales veramque lectionem  $\tau\grave{\eta}$  Ketif, quod tamen sæpius  $\tau\omega$  Keri præferendum. Et quod si Masorethæ hanc sibi licentiam arrogassent, ut tollerent genuinas vocales in quibusdam vocibus, esset forte an prompta ad alias voces collectio. Ad *quartum* deniq; dicimus, Masorethas, ut ut vocalium diversitatem ex variis codicibus non annotârint, nihilominus notasse vocalium & accentuum irregularitates; inde tamen non benè colligi putamus vel Masorethas posteriores vocalium inventores esse vel nos non habere ubiqve veram punctationem à primis ejus authoribus profectam. Et tantùm *ὡς ἐν τῷ πρώτῳ καὶ συνόψει* de Masorâ, cujus cum intricatissima & difficillima sit tractatio, tum ob ejus imperfectionem, tum ob defectum historiae, speramus veniam, si quid vel non rectè assecui simus, vel minus dextrè exposuerimus. Cogitet æqvus Lector in magnis quandoq; satis esse voluisse.

TANTUM.

S. T. G.



F

L.B.

Quoniam Typographus monet vacaturam maxi-  
 mam hujus plagula partem, petitq. quiddam sup-  
 plendo vacuo, placuit adjicere Programma, quo  
 okm Praelectiones nostras Publicas in Prophetiam  
 Jona intimavimus, quod boni consules, donec cum  
 DEO & die ipsas Praelectiones vulgemus. U.

**N**on sine causa Divus gentium Apostolus  
 γεωδεις ηγι ισδανης μύθης tam serio monet fu-  
 giendos (I. Timoth. IV. 7. Tit. 1.14.) cum a p<sup>ri</sup>ncipio S.  
 Sanctae abducant & hominem ad quavis avia abripiant a  
 tramite veritatis, unde ubi semel deflexum, incredibilis  
 deinceps mortalium vanitas est. Triste ejus rei nostrae  
 tempestate exemplum dant Judaei, qui cum lemas suas  
 saturnias abstergere detrectent, & verum SSae scopum  
**CHRISTUM** nec curent nec quaerant, ad tam febricu-  
 losa somnia & ineptas delabuntur nugas, ut omnes stul-  
 titiae numeros explisse gnaviter videantur. Et ista plus-  
 quam anilis fabulandi lubido tam altas in animis ipso-  
 rum egit radices, ut jam ceu annosa arbor quantum ver-  
 tice ad auras Aethereas, tantum radice ad Tartara tendat.  
 Ne dicto putemur non fecisse fidem, hac vice Divum  
 Prophetam Jonam, in quo satis manifestus Christi ty-  
 pus deprehendi poterat (Matth. XII. 40.) tot absonis  
 commentis a gente adulterina implicitum in scenam  
 producemus, ut quisquis homines istos in sole caligare  
 i.e. in brevi & luculenta historia propemodum infamire  
 videat, ex ungue leonem vel, si mavis, ex auriculis asel-  
 lum cognoscere possit. Id principio leviculum videtur,  
 quod Talmudistae Jonam filium ferunt viduae Sarepta-  
 ae, ab Elia resuscitatum, Dicit illud c. 5. succa scribit  
 Abar.

*Abarbenel.* Transcripsit idem, ut plura alia, ex Abarbenele R. Jacob Abendana in suo, quod sine mente & iudicio R. Salomonis ben Melech commentario literali in *SS*, ceu *רֵאָוֶן* & *πολυχιδὲς* assuit spicilegio. At citato loco in Talmude nil tale reperitur. Dum itaque *Abendana* (loquimur viventi & satis noto) locum Talmudicum alibi quaerit, nos Jonæ navim conscendimus; ipse enim universum naulum, *Raschio* referente, solvit. In *Deras* i. e. commentis homileticis & allegoricis suorum haberi ait dedisse Jonam mercedem totius navis, ut eò citius iret nec prestolaretur mercatores, &c. Dicas, quorsum opus isto figmento? *Raschium* audiamus: *Hinc probant, quod Prophetia non habitet nisi in homine divite.* Quis quaesisset hunc piscem in isto gurgite? Non mirum, quod homines nil nisi aurum aureosve Prophetas desiderantes Salvatorem nostrum in secula benedictum pro magno illo Propheta haud agnoscant, cum non habuerit ubi reclinaret caput suum (*Luc. XI. 58.*) Cæterum claudicatura forte fuisse historia, nisi & R. *Japhet* prodidisset navim sale onustam fuisse, quasi exprobraturus Jonæ, quod apud *Suidam* est *ἄλας ἄγων καὶ Ἰδὲς*. Verum & nautæ lustrandi sunt & comites. Si *Raschius* fidem nondum decoxit, *septuaginta nationes in navi fuerunt.* Tot enim omnino excludunt è numero filiorum & nepotum *Semi*, *Chami* & *Japheti*, ut fusiùs ostendit *Buxtorffius Dissert. 2. tb. 41. seqq.* Jam & ad *S. Jonæ* fata properandum est. Non poterat placari mare, nisi ipse navi excederet. Per gradus tamen & hic procedendum, non committendus saltus erat. Nam nautæ in *Pirke Elieser* c. 10. dicuntur eum primùm demersisse usq; ad genua, quo facto cum mare sedatum viderent, retraxere. E vestigio mare multò vehementiùs favire cœpit. Demiserunt itaq; denuò usq; ad umbilicum & sic rursus placârunt

mare; denuò retraxere: subito nova oritur procella: Demittunt iterum usque ad cervicem, facto citius quiescit mare: retrahunt: redit ad iram: donec tandem desperata Jones Idatus ab iis *Preceps & talos à vertice mersus ad imos.* Vix fidem habitura esset fabula, nisi conciliaffet *Abarbenel.* Is verò ita *f. 258. c. 2. Omnino accuratè expenderunt sapientes f. m. τὸ ῥηπὸν 88a.* Inde enim quod dicitur: *Tollite me & projicit me*, patet, quod executi sint duas diversas actiones, projecerint nimirum eum in mare & rursus sublatum retraxerint unde dispalescit veritas rei. Hinc quod deinde dicitur: *Et sustulerunt Jonam & projecerunt eum in mare*, exponunt quod postquam retraxissent eum multoties ex mari, tandem projecerint in mare penitus. Peracta fabula est, si placet, plaudite. Porro demersum Jonam deglutit piscis senex & grandævus Nam in *Pirke Elieser R. Tarphon ait preparatum hunc piscem esse inde ab hexaëmero creationis, ut deglutiret Jonam.* At Rachi haud sufficere ratus deglutiri semel, duplicem creaturam divino vati, velut occlamanti *ἀπλᾶς δὲ λύπας ἐξόν, σὺ κ' οἶσω διπλᾶς.* Fingit homo *κρηνοχυτρολήρας* & Jonam, cum in ventre piscis masculi laxum reperisset locum, ad preces adigi nondum potuisse, donec in ventrem foemellæ foetibus distentæ translatus angustiâ loci extortas preces funderet. Verba ejus sunt: *Piscis magnus ille erat masculus & Jonas poterat illic subsistere laxè, quare non applicuit animum ad preces.* Innuit ergò DEUS pisci masculo & evomuit eum in os piscis foemella foetibus plena, ubi habebat arctè & precatu est, ut dicitur: *E visceribus piscis foemelle.* Rabbi Salomo! sive *Jarchi* sive *Lunaticæ* *ποιὸν σε ἔπ' & Οὐκ ἔξ' ὀδόντων;* *Dimentem Tibi dent tuam Philæni!* Certè tam crudum mendacium concoquere haud potuit *R. Aben Esra.* Eò enim videntur spectare ejus verba: *Est qui dicat, quod piscis foemella absorpserit masculum* ( nisi sit præoccupatio, novum erit

erit

erit mendacium) sed non opus est, nam utrumq; nomen יָם  
 וְיָם est nomen speciei s. Epicœnum. Hæc sanè contribu-  
 listui ratio te stringit Raschi: *Quis alligatum te triformis  
 Pegasus expediet Chimæra?* Sed cœtera iniquissimi, lucis  
 tamen usura Jonam in ipso ventre piscis privare nolunt.  
 In *Pirke Elieser c. 10.* è *Versione Vorstij* (nam authoris con-  
 textus nunc ad manus non est) legitur: *Erant autem duo  
 oculi istius piscis veluti fenestra tecti, lumen præbentes* *Jona.*  
*R. Meir dixit: Margarita quædam erat suspensa in visceribus  
 piscis lucem subministrans Jona instar solis in meridie splendentis*  
*et conspicendum illi præbuit quicquid in mari et abyssis erat,*  
*atq; de hoc scriptum est: Lux facta est justo Psal. 97. 11. Nec*  
*Raschi hic comparet αἰὲς βολῆς, ut ut dudum aliàs con-*  
*fregerit tesseram. Nam ad verba Ἀλγὰ Alligata est capiti*  
*meo, ita cornicatur ille: Mare algosum (rubrum) impen-*  
*det superne capiti meo. Nam DEUS ostendit ipsi mare rubrum et*  
*quomodo transferint per illud Israëlitæ. Duo quippe oculi piscis*  
*erant instar duarum fenestrarum, itaq; noverat et videbat omnia,*  
*quæ in mari sunt. Nugis imponam finem, ubi è *Pirke Eli-**  
*eser inter Jonam & piscem acta Vorstii verbis recensue-*  
*ro, veniam tamen præfatus -- bullatis quod mihi nugis Pa-*  
*gina turgescat. Ita ergò Elieser in capitulis c. 10. Allocutus*  
*est piscis Jonam: Nonne scis, te hodie venisse, ut ore Le-*  
*viathanis comedaris? Respondit ei Jonas: Deduc me ad*  
*illum. Dixit autem Jonas Leviathani: Propter Te descen-*  
*di, ut contempler locum habitaculi tui; inferturus*  
*enim sum funem linguæ tuæ, ut educam Te & mactem*  
*in luculentum convivium pro justis. Ostendit illi annu-*  
*lum obsignatorium Abrahami. Dixit: Respice ad fœdus*  
*(circumcis.) Conspexit hoc Leviathan et aufugit à Jona itinere*  
*duorum dierum. Dixit illi (suo pisci Jonas) Liberavi te*  
*ore Leviathanis: ostende mihi, quicquid in mari & abys-*  
*sis est. Monstravit autem illi fluvium magnum aquarum Oceani*

*juxta illud: Abyssus circumdederat me (c. 2. v. 6.) Ostendit etiam illi mare agiosum, per quod transierunt Israëlitæ, prout dicitur: Alga implicita erat capiti meo (ib.) Ostendit quoque illi locum, unde fluctus & gurgites maris proveniunt, juxta illud: Omnes fluctus & gurgites tui transierunt super me (v. 4.) Ostendit illi quoque, vectes & bases terræ, prout dicit (v. 7.) Terræ vectes concluderunt me in æternum. Ostendit illi etiam gebennam, sicuti dicitur: Eduxisti ab interitu vitam meam &c. (ib.) Monstravit quoque infernum insimum, juxta illud: Ex ventre inferni clamavi &c. (v. 3.) Ostendit illi templum Domini, quia dicitur: Ad fissuras montium descenderam (v. 7.) Hinc discimas Hierosolimam sitam esse super septem montes. Conspiciendum quoque dedit ei lapidem Schatiab, s. fundationis (de quo conf. Buxtorfius Lex. Talm. col. 2541.) in abyssis defixum infra templum Domini, cui insistent filii Corab & super eum preces fundunt (cantillantes, ut dicitur in Sanhedrin c. 11. f. 110.) Sunt apinæ tricæque; & si quid vilius istis, de quibus illud Juliani scitum profero: ἔργων, ἀνέργων, καὶ ἐργων. Sed ite domum saturæ, venit Hesperus, ite & Apella. Nemo porro mirabitur, haud feliciter SSas literas ab impostore Arabum Mubammede tractatas, qui nôrit eum in Schola Marrucini litterionis recutiti adolevisse. Nec enim ovum tam simile ovo ac fabulæ Alcoranicæ Talmudico Judaicis, uti arguunt commenta illa de colloquio Caini & Abelis Sur. IV. & Targ. Jonatb. atq; Hieros. Gen. 4. de monte Israëlitis instar cupæ imminente Surat. VII. & Schabbat. c. 9. atq; Avoda Sara. c. 1. De Abrahamo in ignem coniecto Sur. XXI. & Bereschit rabba f. 38. de Dæmonum in templi Salomonei exstructione suppetiis Sur. XXXIII. & Gittin. c. 1. f. 68. atque similia. Jonæ quidem historiam ipse impostor in Alcorano aliquoties, sed tam obscure recensuit, ut Delio natatore opus sit, ne quis præfocatur. Quasi ex professo de Jona & Nini-  
vetis*




veteris agit *Suratâ X.* à v. 69. *seqq.* quam idcirco יונס *s. de Jonæ*  
 inscripsit. Aliàs facit & Jonæ mentionem *Suratâ XXI.*  
 quæ *Prophetarum* dicitur v. 85. *seqq.* ubi eum appellat  
 דַלְנוּן *Dalnun.* Beidavio vox ista est: אַחֲבַת אֶלְחוּר  
*Socius piscis.* Hottingero: ἰχθυόφαιος; nobis potius:  
 ἰχθυάριος, ἐπίτης *præditus, possessor,* & ἰχθυός *Piscis.* Conf. Go-  
 lius *Lexic. Arab. p. 2489.* Denique *Surata XXXVII.* quæ  
 מְנַסְרִין *s. ordinum* vocatur v. 63. *seqq.* historiam Jonæ  
 repetit. Interpretes autem Alcoranici etiam de Jona  
 fabulas pleno admetiuntur horreo, uti indice digito  
 ostendit Hottingerus *Bibl. Orient. l. 4. c. 3. p. 77. seq.* Verum  
 enim verò hæc omnia à nobis hæctenus allata in mediū  
 sunt, ut ne lateret, quàm indignis modis sanctissimus  
 Propheta Jonas ab Apellis, aliisve SSæ. corruptoribus  
 sit habitus. Quæ etiam præter alias nos impulit causa,  
 ut ejusdem Prophetiam à commentis Judaicis emacu-  
 lare & τὸ ῥητόν *Historiæ Philologicè* illustrare in animam  
 induceremus nostram. Quà fini de instituti nostri ra-  
 tione quædam exponenda videntur, ne quis existimet  
 nos falcem nostram in alienam messem missuros, cum  
 probè sciamus, multum distare Theologicum com-  
 mentandi genus à Philologico, quanquam hoc illi sub-  
 ordinetur. Si quid ergò deliret interdum Philologus,  
 plectenda ideò Philologia non est, fidissima illa SS.  
 Theologiæ administra. Paramus autem in Jonam 1.  
 Analysin purè Grammaticam, 2. Κερίσιν *sacram,* qua  
 singularum originalium λέξεων & φράσεων *veram empha-*  
*sin, ἐνέχσαν,* pondus & usum è principiis artis nostræ ex-  
 plicabimus. 3. Σύγκρισιν *instituemus* versionum tum  
*Orientalium Chaldaicæ, Syre, Arabicæ & Æthiopicæ;* tum  
*Europæarum, Græcarum,* cum primis LXX. Interpretum:  
*Latinarum Vulgatæ, Pagnini, L. Judæ, Castalioni, Ju-*  
*mii &c.*

nii &c. *Germanicarum* B. Lutheri, Dietembergeri, Piscatoris: *Belgica, Danica, Anglica, Gallica, Italica & Hispanica.* Denique 4. E. commentariis tam Ebræorum, illorum præsertim, qui literæ Textus pressius insistant, tum Christianorum, præcipuè *Φιλολογούντων* ea studiose seligemus, quæ *εὐρητῶ* & sensui literali SSæ illustrando inserviunt. *Omnia in majorem DEI gloriam.* Cæterum eos, quibus hæc non displicent studia & nostrâ operâ indigent, officiosè & amicè rogatus cupimus, ut eâ frequentiâ, qua adfuerunt nobis hæctenus, imposterum ne deesse velint. Dabimus operam sedulo, ut pro talentulo nostro *σὺν ἀθείᾳ* accepto, officii nostri expleamus partes, & si forte non aliter, grata saltem brevitæ placeamus, cum Cretenses illi & nobis probi videantur, quos Plato ait *πολύνοιαν μάλλον ἢ πολυλογίαν ἀσκηῆσαι.* Spiritum Sanctum autem hodie veneramur supplices, ut aspirare ex alto laboribus nostris auram gratiæ suæ, & charismata sua super nos effundere, & *σοφίαν* largiri clementer velit. Ipso dante, nobis *ἅπαν ἀπορροὺν πόρμον.* Prælectionum autem *σὺν ἀγαθῇ θεῶ παλάμα* proximo die Jovis, quem vocant, hora à meridie prima in Auditorio Minori auspicia erunt. P. P. Feria II. Pentecostes A. Æ. D: V. *CLC LXXVII.*



B. 4.



10 / 1111